LIBERATORE-CORSI S. I.

LOGICA MAIOR

SEU

CRITICA COGNITIONIS HUMANAE

(Ad usum privatum Seminarii Regionalis Campani)



NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA COMMERCIALI
1927

22963

MONITUM

In hac altera parte Patris Liberatore Logicae reficienda, plura reformanda fuerunt, ut nova haec editio, et praesentis temporis exigentiis, et discipulorum capacitati, ad quos dirigitur, accomodatior esset. Clarissimus Auctor enim, quamvis in problemate critico solvendo analysim satis accuratam instituit facultatum nostrarum cognoscitivarum, initium tamen sumit, sicut non pauci Scholastici faciunt, ex eo quod praecise est in quaestione, nempe aptitudine facultatum nostrarum ad obiectum vere reale *attingendum, quod philosophi adversarii fere unanimiter negant.*

Sunt qui problema hoc, quod inde a revisione cartesiana mentes philosophorum maxime occupat, puerile existimant, neque praetium esse operis putant in eo solvendo immorari, adversariosque mente captos, delirantes, somniantes et huiusmodi declarant, ideoque dignos, qui non rationibus, sed helleboro curentur vel baculo convincantur. Sed nobis longe aliter res apparet, adversariosque existimamus viros esse magni ingenii, et eorum rationes audiendas, considerandas atque solvendas esse, et puncta invenienda in quibus nobiscum consentiant, et discussionem cum eis instituendam, sicut complures moderni Scholastici faciunt.

Neque difficile est huiusmodi puncta invenire, si adversariorum opera legantur et accurate examinentur, quod multi non faciunt, sed omnia globatim, quae ab adversariis affirmantur, refutant. Communiter, v. g, docetur in scholis cum sceptico nullam posse discussionem institui, sed quaeso: ubinam sunt sceptici, qui teneant ea quae eis attribuuntur ? Scepticus non negat factum *certitudinis ; admittit quoque aptitudinem mentis in proprios actus reflectendi : in his ergo nobiscum consentit, ideoque, ex his sumpto initio, discussionem cum eo instituere possumus. Scepticus non facit quaestionem* de facto, *sed* de iure, *seu de motivo nostrae certitudinis : estne molivum hoc vere obiectivum sensu* Dogmatismi, *vel quid mere subiectivum sensu* Scepticismi ?

Quod de scepticis dicimus, a fortiori valet de empiristis, idealistis et ceteris.

Cum haec nova editio, ut dixi, capacitati alumnorum, qui

Lyceo philosophico dant operam, esset accomodanda, non omnia fuse et complete tractari potuerunt, sed ea sola enucleatius exposita sunt, quae magis necessaria visa sunt et cum superioribus studiis magis connexa, necnon ad vitam utiliora: cetera, quae ad doctrinae complementum faciunt, in corollariis vel scholiis tradita sunt. Omnia sunt in Theses distributa, quae generatim tribus constant partibus: statu quaestionis, demonstratione, difficultatum solutione. In statu quaestionis tria generatim praestantur: definiuntur vel declarantur termini, adversariorum sententiae breviter recitantur, thesis in suas partes distribuitur. Demonstrationis argumenta forma stricte syllogistica exponuntur. Difficultates proponuntur atque solvuntur perquam brevissime, earumque numerus fere semper abundantior est, quam qui apud P. Liberatore invenitur.

In hac nova editione curanda multum me iuvarunt modernorum auctorum opera, non solum ex Societate, sed etiam ex extraneis, quorum elenchus suo tempore et loco dabitur.

Tandem animadvertere placet, me quandoque a sententia auctoris discessisse, quia opposita probabilior visa est: ita feci v. g. in thesi de subiecto veritatis formalis, *in qua sententiam teneo, veritatem formalem in simplici apprehensione non esse, sed transcendentalem tantum.*

Neapoli, die 8 Dic. 1927.

M. C. S. I.

INTRODUCTIO

Definitio Criticae — Partitio — Momentum

1. **Definitio.** Logica Maior vel Critica est illa pars Philosophiae, quae agit de valore cognitionis humanae. Eius obiectum *materiale* ergo est humana cognitio; *formale* autem est humana cognitio quoad eius obiectivum valorem considerata.

2. **Partitio.** Dividi potest Logica Maior in duas sectiones, quarum prima sit de revisione Certitudinis, altera de Criterio et Methodo.

a) Prima tribus capitibus concludi potest, quorum unum de notione veritatis et certitudinis, alterum de fontibus internis cognitionis, tertium de fonte externo agat.

b) Altera sectio quatuor capitibus comprehenditur, quorum 1^{um} de falsis criteriis subiectivis; 2^{um} de falsis criteriis obiectivis; 3^{um} de vero criterio; 4^{um} de philosophandi initio et constructione scientifica tractet.

3. **Momentum.** Exinde patet, quod Logicae Maioris obiectum sit problema criticum solvere, in quo solvendo philosophia moderna fere tota incumbit.

SECTIO I.

De revisione certitudinis

CAP. I.

De notione veritatis et certitudinis

§ 1. — *De veritate in communi*

THESIS I.

Veritas in communi recte definitur: Adaequatio rei et intellectus; est tamen primario in intellectu, secundario in rebus, seu per ordinem ad intellectum.

St. Q. 1) Loquimur de veritate in communi, seu de illa ratione in qua conveniunt omnia quae dicuntur vera, et quam dicimus esse *adaequationem intellectus et rei.*

2) *Adaequatio* hic intelligitur non realis sed intentionalis, seu repraesentativa, quae consistit in conformitate repraesentationis, quae est in mente, cum obiecto, quod est a mente distinctum. Neque haec conformitas, ut habeatur, requiritur ut sit adaequata, exprimat nempe rem secundum ea omnia quae in se habet, sed sufficit inadaequata, scilicet ut ea, quae de re exprimuntur, revera sint in re.

3) *Intellectus* sumitur hic non mera et nuda facultas cognoscitiva, sed falcultas cognoscitiva prout rem exprimit atque dicit eam esse quod est, vel non esse quod non est.

4) *Res* tandem intelligitur obiectum, seu omne id quod aliquo modo exhibetur tamquam a mente distinctum, seu praeter cognitionem existens.

5) Cum termini veritatis sint duo, intellectus et res, quaeritur in altera parte thesis ubinam primario reperiatur veritas. Respondemus eam reperiri primario in intellectu, secundario in rebus, seu per ordinem ad intellectum.

Cum autem intellectus duplex distinguatur, divinus et humanus, res dicuntur verae per ordinem ad utrumque, sed diversa ratione: *per ordinem ad intellectum divinum* dicuntur verae veritate essentiali, ab eo enim habent ut sint quod sunt seu sunt veluti mensuratum quoddam respectu illius; *per ordinem autem ad intellectum humanum* dicuntur verae veritate accidentali, ab eo enim habent, non ut sint, sed ut sint cognitae, seu sunt respectu ipsius veluti mensura quaedam: sunt, aliis verbis, res verae in quantum conformantur intellectui divino, et in quantum conformabiles sunt intellectui humano, in quo aptae natae sunt veram sui cognitionem gignere.

6) Adversantur thesi omnes philosophi qui aliter ac nos explicant naturam cognitionis humanae; et sunt maxime:

a) Idealistae, quibus veritas est adaequatio cognitionis cum seipsa vel cognitionis cum legibus cogitandi menti innatis. Mens enim, iuxta Idealistas, non valet suam activitatem transcendere et obiectum extra subiectum positum, seu realiter a subiecto distinctum, attingere.

b) Empiristae, qui verum tenent omne et solum id quod sub experientiam sive externam sive internam venit. Dicuntur *positivistae*, si negant quidquam existere praeter ea quae apparent; *agnostici*, si aliquid concedunt esse praeter ea quae apparent, sed *incognoscibile* dicunt.

c) Pragmatistae, quibus verum est quod est utile, utilitatem intelligentes non quasi confirmationem veritatis, sed ut constitutivum ipsius.

Redolet pragmatismum doctrina quorumdam fautorum « Apologiae Novae » v. g. *Blondel* qui veritatem definit: « *Adae-*

quationem mentis et vitae » et definitionem traditionalem declarat ut quid mere abstractum et chimaericum.

d) Praeterea adversantur thesi omnes qui tenent cognitionem inadaequatam esse falsam, confundentes, ut patet, difformitatem negativam cum positiva, et praecisionem vel abstractionem mentalem cum negatione vel exclusione.

Ex horum numero videtur esse ipse Prof. Chiocchetti, qui requirit ad veritatem cognitionis, non solum ut sit adaequata, sed ut sit omnino comprehensiva. En eius verba: « Pensare un concetto, pensarlo veramente, cioè fino a fondo — *e se non si pensa fino a fondo, in modo da esaurire la sua pensabilità, non si pensa affatto*— vuol dire pensare tutti i concetti. (La Filosofia di B. Croce. Introd. P. 34). Sequeretur ex hoc nullum unquam in mundo hucusque *vere* cogitasse, neque cogitare posse.

7) Thesis habet duas partes:

1ª Veritas in communi recte definitur: *adaequatio rei et intellectus.*

2ª Veritas primario est in intellectu, secundario in rebus, seu per ordinem ad intellectum.

I. P. Prob. *(Ex analysi notionis vulgaris veritatis).*

Vulgo dicuntur vera res, conceptus, sermo.

Atqui ratio communis cur ista dicuntur vera est relatio conformitatis inter aliquid mentale et aliquid extramentale.

Ergo in hac relatione conformitatis inter aliquid mentale et aliquid extramentale consistit ratio communis veritatis.

Maj. enuntiat factum vulgare; dicimus v. g. *Ille est verus amicus; hoc est verum vinum; habes verum conceptum de me; propositio tua est vera, vel verax.*

Min. a) Res dicitur vera, cum respondet ideae exemplari, quae de ea habetur; v. g. notio verae amicitiae est, amicum in rebus adversis iuvare, ideoque si modus agendi alicuius huic notioni respondet, eum dicimus verum amicum.

b) Conceptus dicitur verus, cum rem exprimit prout est, scil. dicit esse quod est, vel non esse quod non est; aliis verbis, cum est rei conformis.

c) Sermo dicitur verus, vel potius verax, cum quis sermone exprimit, quod in mente habet, seu cum sermo est conformis sententiae mentis.

II. P. Prob. 1° *(Ex eo quod ratio veritatis perficitur in intellectu).*

Ibi est primario veritas, ubi ratio veritatis perficitur.

Atqui in intellectu ratio veritatis perficitur.

Ergo in intellectu est primario veritas.

Maj. Intelligitur per se.

Min. Ratio veritatis, cum sit conformitas intentionalis, ibi perficitur, ubi est ordinis intentionalis sedes.

Atqui in intellectu est ordinis intentionalis sedes: intellectus enim aptus natus est fieri intentionaliter omnia.

Ergo in intellectu veritatis ratio perficitur.

2° *(Ex eo quod verum est bonum intellectus).*

Verum est bonum intellectus.

Atqui bonum intellectus est primario in intellectu.

Ergo verum est primario in intellectu.

Maj. Intelligitur *per se :* bonum intellectus est cognoscere ens : ens ut cognitum dicitur verum.

Min. Bonum intellectus cognitione attingitur.

Atqui quod cognitione attingitur, in quantum tale, est in intellectu.

Ergo bonum intellectus est in intellectu.

Cor. I. Ergo veritas est secundario in rebus, seu per ordinem ad veritatem, quae est in intellectu, et quam res causant vel a qua causantur, prout considerantur per ordinem ad intellectum humanum, a quo habent ut *sint cognitae;* vel per ordinem ad intellectum divinum, a quo habent ut *sint.*

Cor II. Ergo nomen *verum* est analogum analogia attributionis; dicitur enim de pluribus propter diversam habitudinem ad formam quae est intrinseca *uni*, nempe intellectui.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am Partem. (Cf. Remer–Geny–Log. M. p. 54-55).

1ª Si nullus intellectus esset, veritas esset.

D. Si nullus, neque divinus, intellectus esset, veritas esset N. si nullus intellectus creatus esset, veritas esset Sbd: Veritas ontologica C. logica N.

2ª Si nullus prorsus intellectus esset, falsitas non esset.

Atqui si non esset falsitas, esset veritas.

Ergo si nullus prorsus intellectus esset, veritas esset.

D. Maj. Non esset falsitas defectu subiecti, quod posset esse verum vel falsum C. defectu formae vel quasi formae, quam subiectum natum esset habere N.

Cdm: Si non esset falsitas defectu formae vel quasi formae C. si non esset falsitas defectu subiecti N — N. C.

Explico. Si non esset intellectus, neque esset cognitio quae posset esse vera vel falsa, ideoque neque falsitas neque veritas esset.

3ª Verum et ens convertuntur.

Atqui ens non definitur adaequatio rei et intellectus.

Ergo neque verum.

D. M: Verum fundamentaliter sumptum C. formaliter Sbd: per convenientiam C. per praedicationem N.

C. m.

N. C.

Explico: Verum est ens in quantum cognitum, ideoque nihil addit supra ens nisi respectum ad intellectum, ac proinde fundamentaliter, vel realiter inspectum idem est ac ens; formaliter tamen distinguitur, aliquid enim dicit *verum* quod non dicit *ens*. Sub hoc respectu etiam convertitur aliquo modo cum ente, in quantum nempe cuilibet vero intellectui corrispondeat ens, quod est converti *per convenientiam;* sed non convertitur *per praedicationem,* non enim eodem modo verum dicitur de ente et de intellectu.

4ª Si veritas esset adaequatio rei et intellectus, propositiones negativae, in quibus non est talis adaequatio, non essent verae.

D. In propositionibus negativis non est adaequatio cum re positiva C. cum re negativa, ut positiva apprehensa N.

Explico. In propositionibus negativis mens apprehendit absentiam alicuius praedicati ab aliquo subiecto; ideoque habetur conformitas intellectus cum illa absentia, quae ut quid positivum in mente sistit, vel, si placet, apprehendit praedicatum, non prout existens in subiecto, sed prout a subiecto divisum.

5ª Verum est obiectum intellectus.

Atqui obiectum intellectus supponitur ab intellectu.

Ergo verum supponitur ab intellectu, ideoque non est adaequatio rei et intellectus.

D. M. Verum materialiter sumptum C. formaliter N.

D. m. Obiectum materiale C. formale Sbd. quoad id quod apprehenditur C. quoad modum N.

D. p. c. Verum materialiter sumptum C. formaliter N.

Contra 2am **Partem** (Cf. Remer-Geny-Log. M. p. 57.)

1ª Veritas primario est in re, si veritas rei est causa veritatis intellectus.

D. Si ratio formalis veritatis in ipsa re perficeretur C. secus N.

2ª Causa praecontinet totum effectum.

D. Praecontinet formaliter N. virtualiter Sbd. causa totalis C. partialis N.

3ª Veritas rei est mensura veritatis intellectus.

D. Intellectus divini N. humani Sbd. ita tamen ut ratio veritatis perficiatur in ipso intellectu C. in ipsa re. N.

4ª Adaequatio, in qua est ratio veritatis, est utrimque eadem.

D. Adaequatio materialiter inspecta C. formaliter N.

5ª Si veritas primario esset in intellectu, verus esset subiectivismus.

D. Si a solo intellectu penderet. C. secus. N.

§ 2 — *De subiecto veritatis formalis.*

THESIS II.

Veritas formalis proprie est in solo iudicio; in simplici apprehensione enim veritas formaiis non est, sed transcendentalis tantum.

St. Q. 1) *Veritas relate* ad ea quae dicuntur vera triplex distinguitur: logica, ontologica, moralis.

a) Veritas logica, quae etiam *in cognoscendo, repraesentando vel formalis* dicitur, in conformitate consistit cognitionis cum obiecto, non quidem materiali, sed formali; habetur nempe cum obiectum dicitur esse quod est, vel non esse quod non est.

b) Veritas ontologica, quae etiam *in essendo*, *metaphysica* vel *transcendentalis* dicitur, consistit in conformitate rei cum idea exemplari vel archetypa, quae est in mente.

c) Veritas moralis, quae etiam *in significando* vel *veracitas* dicitur, constitit in conformitate sermonis cum sententia mentis; habetur nempe cum quis ea sermone exprimit, quae habet in mente. In praesenti thesi de veritate formali fit qnaestio, et de ea quaeritur in quonam mentis actu proprie resideat.

2) Omnes conveniunt in affirmando veritatem formalem proprie et perfecte inveniri in iudicio; discordant tamen quoad simplicem apprehensionem: aliqui negant formalem veritatem ullo modo in ea inveniri, sed transcendentalem tantum ei inesse concedunt.

Alii admittunt in simplici apprehensione inveniri veritatem formalem, sed *imperfecte* et *inchoative*, quod tamen diversimode explicant.

Alii denique tenent veritatem formalem in simplici apprehensione inveniri non *per se*, sed *per accidens*; qui modus loquendi non videtur improbandus, si illud *per accidens* intelligatur *ratione iudicii*, quod simplex apprehensio imitetur, vel cui praebeat ansam.

Nobis videtur probabilior sententia negans veritatem formalem in simplici apprehensione ullo modo esse.

3) Adversantur thesi.

a) quoad primam partem, philosophi qui veritatem reponunt non in actu aliquo intellectus, sed vel in voluntate, ut sunt Cartesiani; vel in actione, ut sunt Pragmatistae.

b) quoad secundam partem negant thesim ex philosophis scholasticis, qui tenent veritatem formalem esse in simplici apprehensione inchoative et imperfecte.

4) Thesis habet tres partes:

1ª Veritas formalis proprie est in solo iudicio.

2ª Veritas formalis in simplici apprehensione non est.

3ª sed trascendentalis tantum.

I. P. Prob. 1° *(Ex notione veritatis formalis).*

Veritas formalis habetur cum res dicitur esse quod est, vel non esse quod non est.

Atqui in solo iudicio res dicitur esse quod est, vel non esse quod non est.

Ergo in solo iudicio veritas formalis habetur. (Cf. De Veritate q. 1. a. 3).

2° *(Ex modo essendi veritatis in intellectu).*

Veritas formalis proprie in illo actu habetur, quo mens et conformatur obiecto, et cognoscit se obiecto conformari.

Atqui in solo iudicio hoc locum habet.

Ergo in solo iudicio veritas formalis proprie est.

Maj. Veritas est in intellectu per modum intellectus, cuius est in suos actus reflectere et eorum naturam apprehendere.

Min. In iudicio subiectum locum tenet rei *prout in se est*, praedicatum autem locum tenet rei *prout cognitae*, ideoque cum mens affirmat de subiecto praedicatum, *exercite* affirmat suam cognitionem esse cum obiecto conformem (Cf. id. ib.).

3° *(Ex eo quod in solo iudicio mens aliquid in se habet, quod non est extra animam).*

Veritas formalis tunc proprie est in mente, cum mens aliquid in se habet, quod non est extra animam.

Atqui in solo iudicio hoc verificatur.

Ergo veritas formalis tunc proprie in mente est, cum mens de obiecto iudicat.

Maj. Veritas formalis, cum sit forma cognitionis, in illo actu cognitionis proprie est quo mens, praeter conformitatem cum re, aliquid aliud habet, quod non est in re, et hoc esse nequit nisi cognitio propriae conformitatis cum ipsa re. (Cf. id. ib.).

Min. Per simplicem apprehensionem nihil est in anima prae-

ter solam conformitatem cum re, ideoque nihil quod non sit extra animam. In iudicio autem praeter conformitatem habet cognitionem huius conformitatis.

II. P. Prob. *(Ex natura simplicis apprehensionis).*

In actu, in quo nullo modo res dicitur esse quod est, vel non esse quod non est, nullo modo est veritas formalis.

Atqui simplex apprehensio est actus, in quo nullo modo dicitur res esse quod est, vel non esse quod non est.

Ergo in simplici apprehensione nullo modo est veritas formalis.

III. P. Prob. *(Ex natura simplicis apprehensionis).*

Simplex apprehensio, cum sit res in mente expressa, ea veritate est tantum vera, qua ipsa res est vera.

Atqui res est vera veritate ontologica seu metaphysica vel transcendentali.

Ergo simplex apprehensio vera est tantum veritate ontologica seu metaphysica vel transcendentali.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am **P.** (Cf. Remer-Geny-Log. M. p. 61. Monaco Crit. pag. 333).

1ª Deus non iudicat, et tamen in eo est veritas.

D. Non iudicat componendo et dividendo C. Non iudicat modo eminentiori nostro iudicandi modo N.

2ª Ex tradita doctrina sequitur veritatem esse in solis iudiciis reflexis.

D. Riflexione vel signata vel exercita C. signata tantum N.

3ª In iudicio adaequatio habetur non inter intellectum et rem, sed inter duos conceptus.

D. Inter duos conceptus formales N. obiectivos Sbd. qui duo conceptus se habent inter se sicut res prout est in se et res eadem prout cognita C. sicut duae res N.

4ª Hoc posito, haberetur in iudicio duplex conformatio intellectus et rei: una cum subiecto, altera cum praedicato.

D. Duplex conformatio, quae compositione fit una C. non fit N.

5ª Si in iudicio mens videret suam cognitionem esse conformem cum re, nunquam erraret.

D, Si semper componeret, quae sunt componenda C secus N.

Contra 2am **P.**

1ª Simplex apprehensio est vera cognitio.

D. Qua nihil dicitur de re C. dicitur aliquid de re N.

2ª Simplex apprehensio est cognitio conformis cum obiecto.

D. Et simul cognitio huius conformitatis N. non cognitio huius conformitatis C.

3ª Simplex apprehensio, cum refertur obiecto, eadem manet.

D. Ontologice C. Logice N.

4ª Simplici apprehensione apprehendi potest integra propositio.

Atqui in propositione esse potest veritas formalis.

Ergo etiam in simplici apprehensione.

D. Maj. Integra propositio, de qua nihil dicatur C. de qua aliquid dicatur N.

D.m. In propositione formaliter inspecta C. in propositione materialiter inspecta, in quantum nempe est terminus complexus ordinatus vel ordinabilis ad propositionem aliam conflandam N.

5ª In simplici epprehensione esse potest falsitas.

D. per se N. per accidens C.

§ 3 — *De falsitate logica.*

THESIS III.

Falsitas quae veritati contrarie apponitur et in positiva difformitate consistit cognitionis ab obiecto, per se nonnisi in iudicio esse potest; in simplici apprehensione autem et in sensu solum per accidens.

St. Q. 1) In thesi sermo est de falsitate logica.

Sicut veritas logica est conformitas cognitionis cum obiecto, ita falsitas logica est cognitionis difformitas ab obiecto. Duplex tamen distinguenda est difformitas, negativa et positiva. *Negativa* habetur cum obiectum aliquod vel nullo modo attingitur vel non adaequate attingitur; in 1° casu habetur nescientia vel ignorantia; in 2° cognitio inadaequata. Difformitas *positiva* autem habetur cum res dicitur esse quod non est, vel non esse quod est, et in hac proprie consistit falsitas vel error.

2) Falsitatem logicam aliquo modo opponi veritati omnes concedunt, disputant tamen in definiendo quaenam oppositio inter utramque detur.

Oppositio, ut in dialectica vidimus, quadruplex distinguitur: Contradictoria, contraria, privativa, relativa.

a) Contradictoria habetur inter ea, quorum unum est negatio alterius.

b) Contraria inter ea viget, quae, cum sint positiva et in eodem genere, maxime distant.

c) Privativa habetur inter ea, quorum unum est negatio alterius in subiecto apto.

d) Relativa inter ea, quorum unum dicit repectum ad alterum, locum habet.

Inter falsitatem logicam et veritatem oppositionem contrariam vigere in thesi probabitur.

3) In tertia parte thesis quaestio solvitur de subiecto in quo proprie resideat falsitas logica, et illud dicimus esse iudicium; in simplici apprehensione enim et sensu falsitas esse nequit nisi *per accidens*, seu ratione iudicii quod imitantur, vel cui ansam praebent.

4) Adversantur thesi.

a) Philosophi, qui tenent falsitatem consistere etiam in difformitate negativa, ideoque cognitionem inadaequatam esse falsam. Inter hos videtur esse recensendus H. Bergson, qui docet conceptus nostros realitatem pervertere, utpote qui eam repraesentent ut staticam et fragmentariam, dum e contra ea sit dynamica et continua. Bergson doctrina plures habet proselitas inter recentiores.

b) Philosophi fautores Relativismi, qui tenent idem posse esse simul verum et falsum pro diversitate personarum, vel adiunctorum, vel etiam motivorum; v. g. aliqua sententia potest esse vera juxta fidem supernaturalem, falsa juxta philosophiam. (Pomponazzi).

5) Thesis habet tres partes:

1ª Falsitas logica in positiva difformitate consistit cognitionis ab obiecto.

2ª Falsitas logica veritati contrarie opponitur.

3ª Falsitas logica *per se* in solo iudicio, *per accidens* in semplici apprehensione et in sensu esse potest.

I. P. Prob. *(Ex vulgari conceptu falsitatis).*

Iuxta communem existimationem falsitas habetur cum quis dicit rem esse quod non est, vel non esse quod est.

Atqui in hoc difformitas positiva consistit.

Ergo juxta communem existimationem falsitas in difformitate positiva consistit.

Maj. Est factum. Cum quis enim de aliqua re non omnia dicit, quae dici possunt, dummodo ea quae dicit in re sint, nemo iudicat eum falsum dicere.

II. P. Prob. *(Ex notione veritatis et falsitatis logicae).*

Duo positiva, quae in eodem genere maxime distant, contrarie opponuntur.

Atqui veritas et falsitas logica sunt duo positiva, quae in eodem genere maxime distant.

Ergo veritas et falsitas logica contrarie opponuntur.

Maj. Est notio oppositionis contrariae.

Min. a) veritas et falsitas logica sunt *duo positiva :* sunt enim duo actus cognoscitivi.

b) Sunt *in eodem genere*, nempe qualitatis.

c) Maxime distant: una enim in conformitate, altera in difformitate consistit.

III. P. Prob. *a) Per se* in solo iudicio falsitas logica esse potest.

(Ex notione falsitatis logicae).

Falsitas logica in illo actu solum haberi potest *per se*, in quo res dicitur esse quod non est, vel non esse quod est.

Atqui in solo iudicio res dici potest esse quod non est, vel non esse quod est.

Ergo in solo iudicio falsitas logica *per se* haberi potest.

Maj. Patet ex notione falsitatis.

Min. Patet ex notione iudicii.

b) In simplici apprehensione et in sensu falsitas *per se* esse nequit.

Probatur : Ubi non est iudicium, ibi neque falsitas *per se* esse potest.

Atqui neque in simplici apprehensione, neque in sensu est iudicium.

Ergo neque in simplici apprehensione, neque in sensu *per se* falsitas esse potest.

Maj. Ex praecedenti.

Min. In simplici apprehensione nihil dicitur de re.

Sensus autem non iudicant.

c) In simplici apprehensione et in sensu esse potest falsitas *per accidens*, in quantum iudicium vel imitantur vel ei occasionem praebent.

Declaratur : In simplici apprehensione complexa potest quis componere ea quae non sunt componenda v. g. dicere « *Circulus quadratus* », vel homini applicare definitionem «*Animal irrationale* »; in utroque casu haberetur falsitas, sed in eis, ut patet, habetur quaedam imitatio iudicii, seu compositio.

Praeterea, cum sensus v. g. referunt baculum in aquam immersum ut fractum, non errant ; sed erraret ille qui iudicaret baculum ita esse *in se*, uti sensus referunt.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am **P.**

1ª Cognitio inadaequata non est conformis obiecto.

D. Obiecto materiali C. formali N.

2ª Affirmare unum cum sint plura, non est verum.

D. Si cetera excluduntur C. si a ceteris praescinditur N,

Contra 2am **P.**

1ª Conforme et non conforme apponuntur contradictorie.

D. Si *non conforme* sumitur pro *positive difformi* N. si pro *negative difformi* Sbd. si significatur absentia cognitionis C. si cognitio inadaequata N.

2ª Duae propositiones, quarum una affirmat quod altera negat, contradictorie opponuntur.

D. Si ontologice spectantur C. si logice N.

3ª Verum et falsum opponuntur sicut ens et non ens.

D. Verum et falsum materialiter sumpta Tr. formaliter N.

4ª Cognitio falsa dici potest cognitio veritate privata.

D. Ita ut eadem cognitio capax sit conformari cum obiecto, hoc non mutato N. hoc mutato C. sed tunc non est eadem cognitio, sed alia omnino.

Contra 3am **P.**

1ª Intellectus non adhaeret nisi vero.

D. Vel reali vel apparenti C. nisi vero reali Sbd. cum res est evidens C. cum non est N.

2ª Iudicium sequitur simplices apprehensiones.

D. Immediate vel mediate C. semper immediate N.

3ª Si iudicium potest esse falsum, de omnibus semper esset dubitandum.

D. Si posset esse falsum *per se* C. si *per accidens* N.

4ª Aut rem cognoscimus sicut est, aut non.

Si 1um, cognitio est vera.

Si 2um, cognitio est nulla.

Addo 3um : aut *putamus* rem cognoscere sicuti est.

Concedo 1am p.

Distinguo 2am p. nullus elicitur actus iudicii N. elicitur actus, qui tamen est a re difformis C.

5ª Conceptus universales referunt res, quae non sunt; ideoque sunt *per se* falsi.

D. Quae non sunt formaliter C. fundamentaliter N.

Schol. I. *Utrum veritas logica sit relativa.*

1. Cum veritas logica cognitionem afficiat, est enim conformitas cognitionis cum obiecto, vel *concrete* ipsa cognitio conformis, quaerere utrum veritas logica sit relativa perinde est ac quaerere utrum cognitio aliqua, iisdem manentibus terminis, possit esse magis vel minus vera; immo vera simul et falsa pro diversitate personarum locorum et temporum; et etiam pro eadem persona in diversis adiunctis constituta.

2. Hoc affirmant fautores moderni relativismi, quibus nulla est veritas absoluta, talis scil. ut, iisdem manentibus terminis, idem maneat nexus indipendenter a quibusvis personarum, locorum et temporum adiunctis, sed tenent omnem veritatem esse relativam seu dependentem a diversitate personarum aliorumque adiunctorum.

3. Ad quaestionem propositam solvendam, notandum est veritatem logicam posse sub triplici respectu considerari, subiective nempe, obiective et formaliter.

a) Subiective est ipsa cognitio conformis cum obiecto.

b) Obiective est ipsum obiectum cui dicitur conformis cognitio.

c) *Formaliter* est ipsa adaequatio vel conformitas cum obiecto.

4. *Subiective* inspecta veritas dici potest relativa, quia cognitio potest esse magis vel minus perfecta pro maiori vel minori perfectione subiecti vel principii cognoscitivi; sic v. g. cognitio quam vir scientificus habet de aliquo elemento est perfectior cognitione, quam de eodem elemento habet vir rusticus.

Obiective inspecta, veritas etiam dici potest relativa, quia potest aliqua cognitio plus dicere de aliquo obiecto quam alia, sic v. g. qui diceret hominem esse animal rationale veriorem cognitionem haberet quam qui diceret hominem esse corpus vivens.

Formaliter considerata, veritas dici nequit relativa; impossibile enim est, ut iisdem manentibus terminis, nexus mutetur pro varietate personarum, temporum et locorum. Sic v. g. iisdem manentibus terminis « *Totum* et *pars* » impossibile est ut nexus seu iudicium enuntians: *Totum esse majus parte*, modo sit verum, modo falsum pro diversitate adiunctorum. Et hoc valet etiam pro veritatibus empiricis: sic v. g. *Petro sedente*, impossibile est iudicium enuntians *eum sedere* esse verum pro uno, falsum pro altero; ex reflexione enim psychologica constat nos iudicare dependenter ab evidentia *enuntiabilis*, quam repugnat esse aliam et aliam pro diversitate personarum et ceterorum adiunctorum.

Attamen, si mutatur obiectum, mutari debet et iudicium ut maneat veritas; sic v. g. *Petro stante,* falsum est iudicare eum sedere; sed tunc non eadem sententia pro uno est vera, pro alio falsa, sed uni eidemque sententiae verae alia vera substituitur.

Schol. II. *Utrum falsitas admittat gradus, seu : utrum possit una cognitio esse magis falsa quam alia.*

R. Affirmative, sive falsitas consideretur formaliter, sive subiective, sive obiective.

a) Formaliter, falsitas est quidam recessus a veritate, iam vero recessus a via recta esse potest maior vel minor; v. g. qui negaret Deum habere providentiam de minimis, minus recederet a veritate, quam qui negaret Deum esse.

b) Subiective, iudicium de obsolute impossibili est magis erroneum quam iudicium de hypothetice impossibili. V. g. qui diceret: *Deus non existit* magis erraret quam qui diceret: *mundus non existit.*

c) Obiective, potest una cognitio plura negare, quae rei conveniunt, quam alia; v. g. qui affirmaret sacramenta esse sex, minus erraret quam qui affirmaret esse duo.

§ 4. — *De statibus mentis relate ad veritatem cognoscendam.*

THESIS IV.

Dubium universale reale positivum est practice impossibile: theoretice autem propositio enuntians de omnibus dubitandum esse contradictione laborat; neque quidquam valent, ante solutum problema criticum, argumenta scepticorum ad probandum certitudinem vere philosophicam nullam esse.

St. Q. 1) Experientia interna constat mente nostram, relate ad cognitionem veritatis, posse in quadruplici statu inveniri, qui sunt: Ignorantia vel nescientia, dubium, opinio, certitudo.

a) Ignorantia vel *nescientia* est carentia cognitionis.

b) Dubium est suspensio mentis inter utramque partem contradictionis.

Est *negativum,* si pro neutra parte militant rationes graves.

Est *positivum,* si pro utraque parte militant rationes aeque graves.

Est *reale,* si vere datur suspensio assensus.

Est *fictitium* vel *methodicum,* si mens aliquid certo tenet,

attamen se gerit ac si non esset certa, ut reflexe inquirat in motiva assensus.

Est *universale*, si ad omnes extenditur veritates, etiam primitivas.

Est *partiale*, si ad veritates aliquas, vel alicuius ordinis restringitur.

c Tertius status mentis est *opinio*, quae est adhaesio mentis uni parti contradictionis, cum formidine de opposito. Gravitas et momentum rationum, quibus mens movetur ad assensum, constituunt probabilitatem.

d) Certitudo tandem est adhaesio mentis uni parti contradictionis absque ulla formidine de opposito.

Est:

α) Vulgaris et philosophica.

Vulgaris, quae etiam spontanea, naturalis et directa dicitur, est adhaesio mentis firma *absque expressa* attentione ad motiva assensus.

Philosophica, quae etiam scientifica vel reflexa dicitur, est firma adhaesio mentis, *cum expressa* attentione ad motiva assensus,

β) Subiectiva, obiectiva, formalis.

Subiectiva est firmitas assensus uni parti contradictionis praestiti.

Subiectiva est firmitas enuntiabilis, cui mens adhaeret.

Formalis resultat ex utroque, est nempe adhaesio firma uni parti contradictionis ob cognitam firmitatem enuntiabilis, cum qua impossibile est oppositum coexistere.

γ) *Metaphysica*, *physica*, *moralis*, prout motiva, quibus assensus certus proxime nititur, sunt ordinis metaphysici, physici, vel moralis.

Certitudo metaphysica est quae nititur rerum notionibus vel essentiis: talis est v. g. certitudo quae habetur de hac veritate: *Totum est maius sua parte.* In hac certitudine possibilitas oppositi ita excluditur, ut sub nulla hypothesi verificari possit.

Certitudo physica est quae nititur constantia legum physicarum: ut est v. g. certitudo de hac enuntiatione: *Hic ignis urit.* In hac certitudine possibilitas oppositi ita excluditur, ut tamen sub aliqua hypothesi possit verificari, v. g. si Deus miraculum patraret.

Certitudo moralis est quae nititur constantia legum moralium, seu quibus mores hominum regi solent; talis v. g. esset certitudo de hac propositione: *Haec mater suos liberos diligit.* In hac certitudine possibilitas oppositi ita excluditur, ut tamen

aliquando verificari possit per liberam voluntatem hominis aliud eligentem.

2) In thesi agimus de dubio universali reali positivo, quod dicimus *practice* impossibile. Haec pars thesis revera a nullo impugnatur, ne a scepticis quidem universalibus, qui quaestionem movent non *de facto*, quod admittunt, sed de *jure;* quaerunt nempe cur sumus certi de aliqua re: estne ratio haec vere obiectiva sensu dogmatismi, vel est mere subiectiva uti scepticismus contendit? Responsio huic quaestioni dari nequit, ut patet, ante solutum problema de reali obiectivitate cognitionis humanae; ideoque frustra invocaretur contra scepticos veracitas vel natura facultatum nostrarum: hoc enim precise ipsi impugnant.

Neque altera pars thesis, sic simpliciter posita, adversarios habet scepticos, qui non ita formulant suam thesim, ut dicant nihil certi esse, sed nihil esse *obiective* certum, intelligendo *obiective* sensu dogmatismi.

Prima, ergo, et altera pars thesis est ad exercitationem quamdam.

Tertia pars thesis est contra scepticos, neque tamen eius scopus est ut probet dari certitudines vere obiectivas; hoc enim, ut diximus, supponit iam solutum problema de obiectivitate cognitionis: sed eius scopus est refutare argumenta, quibus sceptici probare contendunt, solutionem problematis critici esse impossibilem.

3) Scepticismus itaque est doctrina eorum qui negant dari certitudinem vere philosophicam, admittunt tamen certitudinem spontaneam seu naturalem. Dividuntur in *universales* et *partiales*, prout dubium extendunt ad omnes veritates, vel ad veritates alicuius ordinis restringunt. In thesi res nobis est tantum cum scepticis universalibus qui suam sententiam his praecipuis rationibus fundant:

a) Errores facultatum nostrarum; facultates enim cognoscitivae, sive sensitivae, sive intellectivae, saepe errant: cur ergo non semper?

b) Errores et contradictiones hominum; nullus enim error est, qui philosophum non habuerit defensorem; nulla sententia, cuius contradictoria probari nequeat, et quidem rationibus aeque ponderosis.

c) Petitio principii, *processus infinitus* vel *circulus vitiosus*, in quae certo impingeret qui demonstrationem certitudinis attemptaret. Vel enim haec demonstratio nullo criterio iustificaretur, et tunc haberetur petitio principii; vel aliquo criterio iustificaretur, et hoc per aliud sine fine, et tunc haberetur processus infinitus; vel tandem demonstratio iustifica-

retur per criterium aliquod, et hoc per demonstrationem, et haberetur circulus vitiosus. Cum ergo impossibilis sit demonstratio certitudinis, sistendum est in dubio.

4) Ex antiquis scepticis mentione digni sunt :

a) Pyrrho, fundator scholae suo nomine dictae Pyrrhonicae cuius fundamentale dogma erat, in omnibus abstinendum esse a quovis iudicio certo proferendo, cum nulla sententia sit cui alia opponi non possit aeque probabilis ; hoc medium esse ad animi tranquillitatem conservandam quod supremum hominis bonum est. Floruit haec schola sec. IV a. Ch.

b) Arcesilaus fundator Mediae Academiae saec. III a. Ch. De eo tamen dubitatur utrum dubium universale insinuaverit methodice tantum, vel etiam sceptice.

c) Carneades auctor Tertiae Academiae saec. III a. Ch., qui statuit nos nihil certe probare posse, ideoque in omnibus sola opinione et probabilitate contentos esse debere. Suam sententiam scientifico quodam apparatu exposuit, ideoque habetur ut verus auctor veteris probabilismi.

d) Sextus Empiricus, sic dictus, quia auctor scholae empiricae. Floruit saec. II p. Ch. et omnia argumenta scepticorum collegit ad impugnandum praesertim valorem cognitionis humanae et existentiam Dei.

5) Aevo moderno scepticismum renovarunt M. Mointagne, P. Charron, Fr. Sanchez (saec. XVI). Ex recentioribus inter scepticos adnumerandi sunt :

a) D. Hume, qui negando valorem principii causalitatis omnem cognitionem vere scientificam e medio sustulit.

b) Stuart Mill, qui valorem syllogismi negavit, qui est ex praecipuis mediis ad cognitiones certas nobis comparandas.

c) Ipsa doctrina kantiana ad scepticismum logice conducit : Kant enim ad vitandam ruinam scientiae a principiis Hume factam, in ipsius cognitionis fundamenta inquirere voluit, sed inquisitionem instituit, quae inepta est ad finem propositum : medio enim usus est, de quo dubitabat utrum aptum esset, necne.

6) Praeter enumeratos, sunt qui scepticismum partialem profitentur. Inter alios mentione digni sunt :

a) Empiristae generatim, qui certum tenent *solum* quod experientiae obiicitur.

b) Rationalistae, quibus certum non est, *nisi* quod est rationi pervium.

Thesis est contra scepticos universales et dividitur in tres partes :

1ª Dubium universale reale positivum, est practice impossibile.

2ª Propositio enuntians « *nihil esse certum* » contradictione laborat.

3ª Argumenta scepticorum ad probandum certitudinem vere philosophicam nullam esse, nihil valent.

I. P. Prob. 1. *(Ex eo quod ipsum factum dubii supponit quaedam ut certa).*

Dubium universale reale positivum est practice impossibile, si ipsum factum dubii plura supponit ut certa.

Atqui supponit.

Ergo dubium universale reale positivum est practice impossibile.

Maj. per se intelligitur.

Min. Qui dubitat, certus est se esse, se dubitare, certo scit quid sit dubium, quid certitudo.

2. *(Ex eo quod dantur quaedam, de quibus mens cogitans, non potest non affirmare ita esse vel non esse).*

Dubium universale reale positivum est practice impossibile, si quaedam dantur de quibus mens cogitans, non potest non affirmare ita esse vel non esse.

Atqui dantur.

Ergo dubium universale reale positivum est practice impossibile.

Maj. Per se intelligitur.

Min. Mens v. g. cogitans *de ente* et *non-ente* non potest non affirmare *ens non esse non-ens.*

3. Confirmatur ex modo loquendi et agendi eorum, qui profitentur dubium universale reale positivum: loquuntur enim et agunt sicut ceteri mortales, qui certi sunt de iis quae dicunt et faciunt.

II. P. Prob. 1. *(Ex eo quod ipsum dogma fundamentale theoriam illam destruit).*

Dubium universale reale positivum theoretice est systema doctrinale, cuius dogma fundamentale ita enuntiatur: *De omnibus est dubitandum.*

Atqui systema huiusmodi per tale fundamentum non firmatur, sed destruitur.

Ergo dubium universale reale positivum theoretice per ipsum suum fundamentale dogma destruitur.

Maj. Est notio.

Min. Dogma illud aut pro certo habetur, aut non.

Si 1um, systema ruit, quia datur aliquid certi.

Si 2um, pariter ruit, cum fundamento nitatur incerto.

Ergo systema, quod dubium universale reale positivum theoretice stabilire conatur, proprio suo fundamento destruitur.

2. *(Ex expositione ipsius systematis).*

Rationes quae afferuntur ad dubium universale reale positivum theoretice affirmandum, aut aliquid valent, aut nihil valent.

Si 1um, ruit systema, cum detur aliquid de cuius valore non dubitatur.

Si 2um, ruit pariter systema, cum rationibus nitatur quae valore carent.

III. P. Prob.

1. *Quoad errores facultatum.*

Argumentum ex erroribus facultatum transitum facit ab *aliquando* ad *semper*, vel a *posse* ad *esse*.

Atqui transitus huiusmodi fieri nequit.

Ergo argumentum ex erroribus facultatum non valet.

Confirmatur: Facultates, cum detegunt errorem, non errant; ergo falsum est nunquam eis esse fidendum.

2. *Quoad contradictiones hominum.*

Idem habetur transitus illogicus: plura enim dantur, v. g. prima principia et iudicia analytica immediata, in quibus nulla dissensio; et si quis dissentit, non est facile credendus: non enim semper et necessario verba referunt sententiam mentis.

3. *Quoad petitionem principii.*

Haberetur, si semper quod assumitur ut principium, demonstratione indigeret.

Atqui non semper indiget.

Ergo petitio principii non habetur.

4. *Quoad processum infinitum.*

Haberetur, si omne criterium iustificari deberet per aliud a se distinctum.

Atqui non omne criterium ita iustificari indiget.

Ergo processus infinitus non habetur.

Declaratur: Lux non indiget luce a se distincta, ut videatur.

5. *Quoad circulum vitiosum.*

Eadem valet ratio: si enim datur criterium quod per se iustificatur, vitatur circulus vitiosus.

Solvuntur difficultates

1ª Facultates cognoscitivae sunt omnes fallibiles.

D. Semper fallere *possunt* Tr. semper actu fallunt. N. vel sbd. si essent *per se* fallibiles C. si *per accidens* N.

2ª Nullum medium adest diiudicandi quando fallunt et quando non fallunt; si enim adesset nunquam fallerent.

R. Neg. ant.; ad rat. dist: Si semper medium rite adhiberetur C. secus. N.

3ª Aut scimus quando fallimur, aut nescimus.

Si 1um, nunquam fallimur.

Si 2um, semper dubio haerendum.

Cum ergo 1um dici nequeat, 2um tenendum est.

R. Addo 3um: aut scimus, quando non fallimur; et 4um: aut nescimus neque si fallimur, neque si non fallimur.

4ª Sunt qui etiam principia prima negant.

D. Ore Tr. mente N.

5ª Omnia fluxa sunt.

D. Immaterialia N. materialia Sbd, quoad essentiam N. Quoad existentiam Iter. D. ita ut sit in eis aliquid relative saltem permanens C. non sit N.

6ª Vera prudentia est nihil certi affirmare.

D. Semper N. quandoque Sbd. sed inquirere C. sed manere in dubio N.

7° Nullum datur criterium vere infallibile.

D. Infallibilitate imparticipata Tr. participata N.

8ª Scepticismus refutari nequit.

D. Quia solidis rationibus fundatur N. quia cum sceptico nulla est possibilis demonstratio C.

9ª Qui nihil affirmat numquam errat.

D. Si in omnibus hoc facit N. si in aliquibus Sbd. si methodice facit C. si sceptice N.

10ª Omnis cognitio a sensibus incipit.

Atqui sensus continuis illusionibus sunt obnoxii.

Ergo omnis cognitio dubia est.

D. M. Et in eis terminat N. non terminat C.

D. Min. semper et in omnibus N. quandoque et in aliquibus Sbd. ita ut necessario intellectum in errorem inducant N. non inducant C.–N. C.

THESIS V.

Certitudo, attentis motivis quibus proxime nititur assensus firmus, in metaphysicam, physicam et moralem recte dispescitur, tamquam in certitudines specie inter se distinctas.

St. Q. 1) Supposito certitudinis facto, quod nemo, neque scepticus, negat, dicimus certitudinem, inspecto motivo, quo proxime nititur assensus firmus, recte dispesci in metaphysicam, physicam et moralem.

2) Motivum est ratio quae movet mentem ad assensum, quaeque ipsa est necessitas enuntiabilis, qua posita, impossibile est oppositum verificari. Eam esse vere obiectivam, seu a subiecto cogitante independentem, postea melius constabit: nunc affirmamus eam triplicem distingui: metaphysicam, physicam et moralem.

3) *Metaphysica necessitas* est quae nititur constantia legum metaphysicarum, quibus nempe ipsae rerum essentiae regunrur, ut sunt v. g. principium identitatis, contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis et similia. Certitudo, quae in hac necessitate fundatur, dicitur metaphysica, et in ea oppositum verificari est absolute impossibile.

Duplicem tamen distinguunt certitudinem metaphysicam: simpliciter metaphysicam et reductive metaphysicam.

a) Simpliciter metaphysica habetur, cum tum veritas, cui mens adhaeret, tum motivum adhaesionis sunt ordinis metaphysici. Talis est v. g. certitudo de his propositionibus:

Circulus est rotundus. Anima est immortalis.

Dicitur etiam materialiter et formaliter metaphysica.

b) Reductive metaphysica habetur cum motivum adhaesionis est metaphysicum; veritas autem cui mens adhaeret est ordinis physici vel moralis. Talis est v. g. certitudo de his propositionibus:

Ignis urit. Corpora sibi relicta in terram cadunt. Testimonium plurium de facto sensibili et illustri est verax.

Dicitur etiam formaliter metaphysica, materialiter physica vel moralis.

4) *Necessitas physica* nititur constantia legum naturalium, quibus nempe phaenomena naturalia reguntur, ut sunt v. g. phaenomena lucis, caloris, electricitatis etc. Certitudo quae in hac necessitate fundatur dicitur physica, et in ea oppositum verificari non est absolute impossibile; effectus enim legum

naturalium, cum sint hypothetice necessarii, impediri possunt a Deo miraculum operante.

Exemplum certitudinis physicae habetur v. g. in his propositionibus:

Hic ignis urit. Hoc corpus sibi relictum cadit in terram.

5) *Moralis necessitas* tandem est quae fundatur in constantia legem moralium, seu quibus mores hominum regi solent; ut v. g.: *Omnes homines scire desiderant. Nemo gratis mentitur.* Certitudo quae in hac necessitate fundatur dicitur moralis, et in ea oppositum verificari neque absolute repugnat, ut patet: voluntas humana enim, cum sit libera, potest oppositum facere.

Exemplum certitudinis moralis est in his propositionibus: *Hic homo non mentitur gratis. Hic homo scire desiderat.*

6) Thesis, prout est proposita, fere a nullo impugnatur. At si certitudo non obiective, sed formaliter consideratur, prout nempe est assensus firmus ob cognitam impossibilitatem oppositi, plures negant dari tres certitudines specie distinctas; sed unam admittunt, eamque metaphysicam. Dicunt enim: aut constat leges physicas vel morales esse servatas, aut non constat. Si 1um, certitudo est metaphysica; si 2um, non habetur vera certitudo, cum possibilitas oppositi non excludatur.

7) Nobis videtur tenendum certitudinem, etiam formaliter inspectam, triplicem distingui: illa enim absoluta possibilitas oppositi quae habetur in certitudine physica vel morali, insufficiens est ad dubium prudens inducendum. Quis enim prudens, domo exiens, dubitat fore ut ipse in latrones incidat, qui fortasse ad ianuam eum expectant ad necandum? et tamen hoc absolute non repugnat.

Hisce positis.

Prob. Th.: *(Ex eo quod actus specificatur ab obiecto formali).*

Actus specificatur ab obiecto formali.

Atqui obiectum formale certitudinis est motivum assensus.

Ergo certitudo specificatur a motivo assensus.

Atqui motivum assensus est triplex: metaphysicum, physicum et morale.

Ergo triplex datur certitudo: metaphysica, physica et moralis specie distincta.

1ª *Min.:* obiectum formale certitudinis est ratio determinans assensum firmum.

Atqui ratio determinans assensum firmum est motivum.

Ergo motivum est obiectum formale certitudinis.

2ª *Min.:* Motivum assensus est necessitas enuntiabilis.

Atqui huiusmodi necessitas est triplex : metaphysica, physica et moralis.

Ergo motivum assensus est triplex.

Ultima min. declar. Necessitas metaphysica est quae nititur essentiis rerum, ideoque nullam pati potest exceptionem; necessitas physica nititur constantia legum naturalium, ideoque pati potest exceptionem per miraculum; necessitas moralis nititur constantia legum moralium, ideoque pati potest exceptionem per voluntatem liberam hominis.

Solvuntur difficultates.

1ª Certitudo hypothetica non est vera certitudo.

D. Si prudenter supponi potest hypothesim esse verificatam N. si non potest Tr.

Explico. Cum dico v. g. « *Hoc corpus sibi relictum in terram cadit* », subintelligitur : *dummodo lex gravitatis verificetur;* quam tamen hypothesim non facio, neque de ea cogito, quia periculum oppositi est valde remotum.

2° Aut scitur hypothesim esse verificatam, aut non.

Si 1.um, certitudo est absoluta, seu metaphysica.

Si 2um, non habetur certitudo.

R. Addo 3.um: aut scitur, sed non ita ut oppositum sit absolute exclusum.

Ad 1um D. Si sciri potest oppositum esse absolute exclusum C. secus. N.

Explico : Si cum dico v. g. « *Hic ignis urit* » scirem cum omnimoda evidentia omnes conditiones esse verificatas, certitudinem haberem absolutam, seu metaphysicam. Sed cum hoc nesciam, neque de eo cogitem, certitudinem habeo non metaphysicam, sed physicam, cum dubium prudens de opposito sit exclusum.

3ª Motivum certitudinis est exclusio formidinis.

Atqui huiusmodi exclusio non est specifice diversa.

Ergo neque motivum certitudinis.

D. Maj. Considerata certitudine quoad elementum negativum C. quoad elementum positivum N.

D.Min. Si consideratur formaliter Tr. si causaliter N.

N. C.

Explico. Certitudo cum sit adhaesio mentis absque formidine de opposito, duplici constat elemento : *positivo,* quae est adhaesio mentis, et *negativo,* quae est exclusio formidinis; sed utrumque nititur in ipsa necessitate enuntiabilis.

4ª Elementum positivum supponit negativum : adhereo enim firmiter, quia non timeo.

R. *a)* Esto ; sed utrumque habet pro motivo necessitatem enuntiabilis.

b) D: Supponit tamquam constitutivum N. tamquam conditionem vel aliquid concomitans C.

5ª Necessitas magis vel minus firma est eiusdem speciei.

D. In eodem ordine C. in diverso N.

Explico: Magis et minus non mutant speciem, cum agitur de subiectis eiusdem ordinis ; attamen differentiam speeificam inducunt, cum de subiectis agitur diversi ordinis.

Schol. I. *Utrum certitudo admittat gradus.*

R. *a) Affirmative* quoad elementum positivum.

Prob. Certitudo consequitur cognitionem.

Atqui cognitio admittit gradus ; est enim proportionalis perfectioni subiecti et luminis, quo mens illustrata obiectum attingit.

Ergo certitudo admittit gradus.

b) Negative quoad elementum negativum.

Prob. Elementum negativum est exclusio formidinis ; iam vero exclusio aut est totalis, aut non.

Si 1um, nihil manet excludendum.

Si 2um, nulla est certitudo.

Schol. II. *De certitudine fidei supernaturalis.*

Ex disputatis in thesi praecedenti liquet, certitudinem metaphysicam esse ceteris praestantiorem. Omnium tamen praestantissima est certitudo fidei supernaturalis, nempe assensus firmus qui praestatur alicui veritati ob auctoritatem Dei revelantis, et mente illustrata lumine gratiae.

Prob. a) Eo praestantior est certitudo, quo praestantius est motivum, quo nititur assensus firmus.

Atqui in certitudine fidei supernaturalis motivum assensus est omnium praestantissimum, nempe auctoritas Dei revelantis.

Ergo certitudo fidei supernaturalis est omnium praestantissima.

Maj. Assensus specificatur a motivo, quod est eius obiectum formale.

b) Eo perfectior est certitudo, quo perfectius est lumen, quo mens illustrata assentitur.

Atqui in certitudine fidei supernaturalis lumen quo mens illustrata assentitur est omnium perfectissimum, nempe lumen gratiae.

Ergo certitudo fidei supernaturalis est omnium perfectissima.

Schol. III. *De probabilitate.*

1) Probabilitas, iuxta vim vocis, est ratio cur aliquid dignum sit, cur probetur. Ad rem nostram quod attinet, probabilitas est gravitas rationum quae movent mentem ad assensum, ita tamen ut non excludatur formido oppositi. Eius effectus ergo non est certitudo, sed opinio.

2) Probabilitas est:

a) Interna vel externa, prout rationes, quae inclinant ad assensum ex ipsa re, de qua agitur, deducuntur, vel ab aliorum auctoritate accipiuntur.

b) Maior vel minor, prout rationes quae afferuntur, maiori vel minori gravitate afficiuntur. Haec tamen gravitas non est diiudicanda ex numero, sed potius ex intrinseco valore rationum, quae adducuntur, quaeque, ut ait effatum, non numerantur, sed ponderantur.

3) Sententia, pro maiori vel minori probabilitate qua nititur, est *probabilis, aeque probabilis, probabilior, probabilissima* vel *moraliter certa,* quae tamen moralis certitudo non est confundenda cum certitudine morali, de qua antea dictum est. Si rationes quae adducuntur in favorem alicuius sententiae sunt fere nullius momenti, sententia dicitur *improbabilis.*

4) Usus invaluit apud modernos repraesentandi gradus probabilitatis numeris fractionariis; qui usus parum habet utilitatis, et causa fuit cur aliqui considerarent certitudiuem ut complexum omnium graduum probabilitatis, sicut unitas est complexus omnium fractionum determinatae cuiusdam rationis, quod admitti nequit.

5) Frequens tamen est usus probabilitatis in rebus practicis, in quibus saepissime impossibile est habere veram certitudinem. De ea itaque possunt sequentes propositiones formulari:

a) Major probabilitas non destruit minorem.

Prob. Ut maior probabilitas minorem destrueret, deberet sententia, quae in ea nititur, esse certo vera.

Atqui non est.

Ergo maior probabilitas minorem non destruit.

b) Potest mens uni parti contradictionis adhaerere, quamvis altera pars sit aeque probabilis, vel etiam probabilior.

Prob: Ut mens non adhaereret uni parti contradictionis, deberet altera esse certo vera.

Atqui non est in casu.

Ergo potest mens adhaerere uni parti contradictionis, cum altera sit aeque probabilis, vel etiam probabilior.

c) Cum omnes rationes militant pro una parte, altera est quidem improbabilis, sed non certo falsa.

Prob: Ut altera pars contradictionis esset certo falsa, altera deberet esse certo vera.

Atqui in casu non est.

Ergo altera pars, pro qua nulla ratio militat, non est certo falsa.

d) Gradus probabilitatis, etiamsi in infinitum multiplicantur, nunquam faciunt certitudinem.

Prob: Cum duo sunt specie diversa, unum oriri nequit ex altero, quamvis hoc in infinitum multiplicetur.

Atqui certitudo et probabilitas specie differunt.

Ergo certitudo nequit oriri ex probabilitate, etiamsi haec in infinitum multiplicetur.

Maj. Asini, etiamsi multiplicentur in infinitum, ne queunt dare hominem.

Min. Certitudo est adhaesio absque formidine de opposito; probabilitas est adhaesio cum formidine de opposito; specie ergo differunt.

Schol. IV. De ignorantia et errore.

I. *De ignorantia.*

1) *Quid*: Est carentia scientia in subiecto capaci, ideoque non negatio mera, sed privatio. Distingui solet in negativam et privativam; totalem et partialem; vincibilem et invincibilem; affectatam et crassam: de his in theologia morali vel in ethica.

2) *Quaenam ejus causae.* Praecipuae numerantur.

a) Limitatio mentis humanae qua fit ut quantumvis sciamus, semper scienda supersunt; neque ea quae scimus plene unquam comprehendimus.

b) Inertia vel animi torpor, quo fit ut mens a labore studiorum retrahatur,

c) Vitia, maxime quae ad sensualitatem pertinent, quibus fit ut mens a studiis severioribus avocetur eiusque acies obtundatur.

d) Studiorum cursus acceleratus vel inordinatus, quo fit ut mens superiora aggrediatur absque debita praeparatione, quae ex inferioribus et facilioribus habetur; et omnia saltuarie vel tumultuarie considerentur.

e) Studiorum perversa selectio, qua fit ut mens applicetur non ad studia quae eius capacitati et inclinationi respondeant, sed ad ea, quae maius lucrum vel utilitatem adducant; unde fit ut mens nullum vel parum progressum faciat.

II. *De errore.*

1) *Quid:* Error est iudicium quo res dicitur esse quod non est, vel non esse quod est. Idem ergo est ac falsitas, quae in

positiva difformitate consistit cognitionis ab obiecto, ut superius demonstratum est.

Non est ergo cognitio incompleta, uti Spinoza, Cousin et alii praetendunt; neque ipsa veritas, cum signo mutato, uti fertur Plato dixisse; sed cognitio difformis, ideoque nullo modo vera.

2) *Quaenam causae.* Praecipuae numerantur:

a) Praeiudicia, quibus fit ut mens praeoccupata sententia aliqua erronea, secundum eam de ceteris iudicat.

b) Affectus pravi, quibus fit ut mens de rebus iudicet, prout animus ab ipsis afficitur.

c) Negligentia, qua fit ut quis plus aequo in sua perspicacia confisus, necessariam de rebus ponderationem omittat, et de eis festinanter et praeceps iudicet.

d) Defectus logicae, quo fit ut quis fallacibus argumentis ductus, seipsum et alios in errorem inducat.

3) Qui fit ut intellectus in errorem induci possit?

R. Certe non ab evidentia obiecti, quia non est; ergo ab influxu voluntatis, quae, cum aliquod enuntiabile sese exibeat ut probabile vel appetibile, maxime si passiones id consulant, potest intellectus assensum abripere.

Ex hoc tamen non sequitur, semper ac quis errat, imprudentiae esse hoc ei vertendum: potest enim res esse valde abstrusa, et in errorem quis incidere, non obstante eius diligentia in eo vitanda.

Sequitur, e contra, nullum errorem esse intellectui physice necessarium; intellectus enim physice cogi potest solum ab evidentia obiecti, quod in casu non est.

CAP. II.

De fontibus internis veritatis et certitudinis

Antequam questionem aggrediamur, haec nobis pramittenda videntur:

1. Traditis notionibus de veritate, certitudine et ceteris statibus, in quibus mens versari potest relate ad veritatem cognoscendam. gradum faciamus ad revisionem nostrarum certitudinum, ut cognoscamus quaenam legitimae sint, ideoque admittantur; quaenam illegitimae, ideoque respuantur.

2. Haec revisio, qua parte respicit facultates ipsas cognoscendi, non est proprie dicta demonstratio; haec enim institui nequit, nisi aliquid certi admittatur in antecessum, sed est potius verificatio vel *constatatio,* quae directe non fit de ipsis facultatibus nude sumptis, sed de facultatibus in actu ipso cognitionis, vel, si placet, de actibus earumdem.

3. In hac revisione facienda, initium sumimus ab actibus experientiae internae, seu conscientiae, revisendis; conscientia enim vel reflexio, quamvis prima non sit in ordine cognitionis directae, prima tamen est in ordine cognitionis reflexae, in quo nunc versamur. Sit igitur

§ 1. — *De experientia interna.*

THESIS VI.

Testimonium conscientiae, quoad facta interna, concreta, praesentia subiecti cogitantis, est obiective certum: iudicium autem quo subiectum cogitans affirmat se esse, est iudicium conscientiae immediatum et indubium.

St. Q. 1) Loquimur in thesi de conscientia, non moraliter sumpta, in quantum nempe est norma agendi, sed criteriologice, in quantum nempe est medium cognitionis acquirendae. Definiri potest: *Actus vel facultas qua subiectum cogitans suas affectiones cognoscit, et seipsum in eis.*

2) Distinguitur:

a) In directam et reflexam.

Directa vel concomitans est actus quo subiectum, dum sentit, intelligit, vult, simul experitur se sentire, intelligere, velle. Eius obiectum, ergo, non distinguitur ab obiecto actus directi, et est communis omnibus facultatibus cognoscitivis; neque, iuxta aliquos, ab harum actibus quos comitatur et refert, realiter distinguitur.

Reflexa vel consequens est actus cuius obiectum sunt ipsae affectiones subiecti, a quibus ergo realiter distinguitur. Haec conscientia est propria solius facultatis intellectivae, quae sola potest in se redire reditione completa, cum non sit organo affixa.

b) Conscientia, praeterea, est sensitiva et intellectiva.

Sensitiva exercetur sensibus internis, maxime sensu communi vel intimo, cuius est sensationes sentire, quae a sensibus externis eliciuntur.

Intellectiva exercetur intellectu, et eius actus est referre facta interna subiecti sive quae ad vitam sensitivam, sive quae ad vitam intellectivam pertinent.

3) In thesi agimus de conscientia intellectiva et quidem reflexa, quae nempe exercetur reflexione signata in ipsas affectiones subiecti. Reflexio haec duplex distinguitur: ontologica et psychologica.

Ontologica versatur circa obiecta affectionum subiecti et dicitur etiam recollectio, vel recogitatio.

Psychologica versatur circa ipsas affectiones subiecti, prout sunt affectiones subiecti; et hoc sensu sumitur in thesi.

4) Obiectum conscientiae igitur sunt:

a) Facta subiecti *interna*, prout facta sunt, non eorum natura vel quidditas.

b) concreta, seu prout afficiunt subiectum, non in abstracto vel in genere.

c) praesentia, prout nempe hic et nunc subiectum afficiunt.

5) Omnia quae a conscientia referuntur, *data conscientiae* vocantur; et sunt alia immediata *in se*, ut facta ipsa concreta; alia immediata *in alio*, ut subiectum ipsum, quod in suis affectionibus concretis, seu ut suis, immediate cognoscit seipsum.

6) In datis conscientiae distinguenda sunt data ipsa, quae sunt obiectum proprium conscientiae, ab eis quae cum datis conscientiae connectuntur vel ab his deducuntur. Sic v. g. si quis putat se esse magnum virum, cum non sit, error non est tribuendus conscientiae, cuius est referre praesentiam illius iudicii in subiecto, non autem utrum iudicium illud sit rei conforme vel non.

7) Quoad subiectum ipsum distinguenda sunt ea quae sunt ei *essentialia*, ut sunt v. g. esse individuum, substans suis affectionibus, permanens; ab eis quae sunt *accidentalia*, v. g. cognoscere se ut talem, cum hoc organismo, hac dimensione vel statura.

Haec omnia sunt bene notanda et habenda prae oculis, ut solvantur difficultates quae fieri solent contra thesim, quaeque generatim desumuntur ex eis quae vel sunt connexa cum conscientia; vel subiecto sunt accidentalia.

Insuper notandum, thesim nostram non esse exclusivam, quasi ea *sola* quae a conscientia referuntur, sint revera in subiecto; sed est asseverativa, scil. ea quae a conscientia referuntur, sunt revera in subiecto.

8) In altera parte thesis fit quaestio de iudicio, quo subiectum cogitans affirmat se esse, quod dicimus esse immediatum et indubium; continetur enim implicite in omni facto interno, quod a conscientia refertur. Sic cum conscientia refert *me cogitare*, refert simul *me esse; cogitatio* enim refertur non abstracte sed concrete, in quantum nempe est *mea*, seu refert *me cogitantem*. Hoc sensu verum est illud Cartesii: « *Cogito; ergo sum* »; iudicium: *sum*, non deducitur ex facto cogitandi, sed in illo affirmatur, ita ut simul affirmo et *me cogitare* et *me* esse.

9) Adversantur thesi:

a) Phaenomenistae, ut Hume, Stuart Mill, James qui tenent conscientiam nihil referre de subiecto cogitante: illud τό *Ego*, non esse nisi complexum phaenomenorum internorum.

b) Psychologi transcendentales, qui, duce Kant, distinguunt inter *Ego phaenomenicum*, seu prout apparet, et *Ego noumenicum*, seu prout est in se, et dicunt conscientiam referre Ego phaenomenicum, non autem noumenicum.

c) Pantheistae sive reales sive ideales, qui considerant res finitas, vel *to Ego empiricum* uti modos finitos vel momenta substantiae infinitae, vel Absoluti cuiusdam indefiniti.

d) Ex realistis, illi qui admittunt realitatem *Ego*, negant tamen hanc certitudinem posse critice iustificari; tenemus enim eam instinctu quodam. Ita Reid, Balmes, et alii.

10) Thesis habet duas partes:

1ª De testimonio conscientiae.

2ª De iudicio, quo subiectum affirmat se esse.

I. P. Prob. *a) (Ex notione cognitionis obiective certae).*

Cognitio obiective certa habetur, cum obiectum apprehenditur prout est, et certo scitur obiectum prout est apprehendi.

Atqui in testimonio conscientiae haec duo verificantur.

Ergo in testimonio conscientiae cognitio habetur obiective certa.

Maj. Est notio.

Min. Obiectum conscientiae sunt facta subiecti interna, concreta, praesentia; v. g. haec mea cogitatio, haec mea volitio, haec mea sensatio.

Atqui huiusmodi facta attinguntur prout sunt, et certo scitur ea prout sunt attingi.

Ergo in testimonio conscientiae, et obiectum attingitur prout est, et certo scitur, idipsum prout est attingi.

2ª *Maj.* Notio conscientiae.

2ª *Min.* In facto v. g. huius meae cogitationis haec tria verificantur.

Apprehendo meam cogitationem;

Apprehendo me apprehendere meam cogitationem;

Apprehendo me infallibiliter apprehendere meam cogitationem.

In 1° obiectum attingitur prout est; cogitatio enim quam scio esse in me, non potest non esse in me, nec aliter esse, ac scio eam in me esse: repugnat enim me scire quod cogitem et de facto non cogitare, vel quod cogitem et aliter cogitare ac scio me cogitare. Etenim *cogitare* est factum internum subiecti, imo concrete ipsum subiectum tali actu affectum; ideoque nihil mediat inter *cogitare* et *scire me cogitare*.

Si ergo *scio me cogitare*, revera cogito.

In 2° scio apprehensionem meam meae cogitationis esse conformem obiecto, nempe veram,

In 3° scio me non errare in hac apprehensione meae cogitationis, seu apprehensionem meam esse certam.

b) (Ex eo quod error conscientiae est impossibilis).

Error conscientiae, quoad facta interna, concreta, praesentia subiecti, provenire posset vel ex parte medii, vel ex parte obiecti, vel ex parte facultatis.

Atqui non 1um, quia facta sunt immediata; non 2um, quia cum apprehensio sit intuitiva, si obiectum aliter se haberet, aliter apprehenderetur; non 3um, quia eadem facultas apprehendit factum internum; apprehendit se apprehendere factum internum; et apprehendit se infallibiliter hoc apprehendere.

c) Aliter:

(Ex eo quod in testimonio conscientiae verificantur omnia quae requiruntur et sufficiunt ad cognitionem obiective certam).

Cognitio obiective certa ea dicenda est, in qua haec tria verificantur:

Obiecti realitas.

Apprehensio huius realitatis.

Apprehensio huius apprehensionis.

Atqui haec tria verificantur in testimonio conscientiae quoad facta interna, concreta, praesentia ipsius subiecti.

Ergo in testimonio conscientiae cognitio habetur obiective certa.

Maj. Admittitur etiam a scepticis.

Min. In hoc facto interno, quod exprimo hac voce; « *Cogito* » haec tria habentur:

Realitas huius meae cogitationis.

Apprehensio huius realitatis.

Apprehensio huius apprehensionis: scio enim me cogitare, et me cognoscere me cogitare.

II. P. Prob. 1) Iudicium, quo subiectum cogitans affirmat *se esse*, est iudicium immediatum conscientiae.

(Ex eo quod facta interna subiecti concrete et immediate affirmantur).

Eo modo subiectum cogitans percipit *se esse*, quo percipit sua facta interna.

Atqui immediate subiectum cogitans percipit sua facta interna.

Ergo immediate subiectum cogitans percipit se esse.

Maj. Facta interna percipiuntur concrete, seu cum subiecto;

cum enim dico v. g. *Cogito*, non percipio cogitationem absolutam, sed cogitationem ut meam, seu ut est in me, seu me cogitantem, vel me in mea cogitatione, ideoque eo modo percipio me ipsum, quo percipio meam cogitationem.

Min. Non datur medium inter meam cogitationem et me ipsum ipsam percipientem, cum mea cogitatio concrete sumpta sim ego ipse in quantum actu cogito.

2) Et est iudicium indubium.

a) (Ex eo quod in hoc iudicio verificantur quae requiruntur et sufficiunt ut dicatur obiective certum).

Illud iudicium est indubium, seu obiective certum, quod affirmat quod revera est, et de quo certo scitur id affirmare quod revera est.

Atqui iudicium, quo subiectum cogitans affirmat *se esse*, est huiusmodi.

Ergo iudicium, quo subiectum cogitans affirmat *se esse*, est indubium seu obiective certum.

Maj. Admittitur etiam a scepticis.

Min. In iudicio quo affirmo *me esse*, et affirmo *me esse*, et certo scio me affirmare *me esse*.

b) (Ex eo quod si iudicium, quo subiectum affirmat se esse non est indubium, explicari nequeunt quaedam facta certissima).

Illud iudicium est obiective certum, quo negato vel in dubium revocato, explicari nequeunt facta certissima.

Atqui iudicium, quo subiectum cogitans affirmat *se esse*, est huiusmodi.

Ergo judicium, quo subiectum cogitans affirmat *se esse*, est obiective certum.

Maj. Intelligitur: si ratio cur illa sunt certa ab alio est, hoc aliud certum esse oportet.

Min. Sunt facta certa, inter alia v. g. recordatio praeteritorum, qua subiectum attribuit sibi quae ante plures annos fecit: hoc factum est inexplicabile, nisi subiectum identicum sibi permanserit in successione continua phaenomenorum psychicorum.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am **P.**

1) Saepe homines dubitant de quibusdam affectionibus internis.

D. praeteritis C. praesentibus Sbd. de ipsa praesentia N. de natura C.

2° In somniis saepe conscii sumus de iis, quae revera non experimur.

D. Hic error est conscientiae N. phantasiae C.

Explico. Conscientia est facultas intellectualis, quae in somniis non agit, vel non est plene sui conscia.

3ª Ii quibus organum aliquod amputatum est, saepe experiuntur dolorem in organo amputato.

D. Hic error est quoad praesentiam doloris N. quoad localisationem doloris Sbd. hic error est conscientiae N. habitudinis C.

4ª Conscientia non refert nisi quae apparent in nobis.

D. Quae apparent et sunt C. non sunt. N.

Explico. Repugnat me experiri, quod non experior.

5ª Conscientia non sunt nisi phaenomena sui conscia.

D. Conscientia directa Tr. reflexa Sbd. phaenomena sunt ipsa conscientia N. obiectum Iter. dist. solum apparens N. quod revera est. C.

Contra 2am P.

1ª Conscientia nihil de subiecto refert,si repugnat subiectum fieri obiectum.

D. Si repugnat subiectum fieri obiectum cognitionis reflexae C. si directae N.

2ª Conscientia nihil dicit de subiecto, si non refert nisi actus internos.

D. Si refert abstractos Tr. si concretos N.

3ª Memoria refert facta quae non sunt.

R. *a)* Nego paritatem. Memoriae est referre facta non praesentia, sed praeterita; conscientiae autem referre facta praesentia.

b) D. Quae non sunt in specie N. in se Sbd. non sunt, neque fuerunt N. non sunt, sed fuerunt C.

4ª Iudicium de subiecto non est immediatum, si conscientia sui progressive acquiritur.

D. Si progressus haberetur quoad notitiam *sui esse.* Tr. si quoad profundiorem notitiam conscientiae evolutionis N.

5ª Iudicium de subiecto non est certum, si subiectum alterationes subire potest.

D. Si potest quoad assentialia C. si quoad accidentalia N.

Explico. Essentiale est subiecto v. g. ut *sit* sibi identicum; sed non est essentiale ut *cognoscat se esse* sibi identicum. Ad cognitionem propriae identitatis requiritur clara perceptio status praesentis et recordatio praeteriti: si unum vel alterum ex his turbatur, turbatur etiam cognitio propriae identitatis.

6ª Iudicium de subiecto est quaedam deductio; iuxta illud Cartesii: « *Cogito, ergo sum* ».

D. Si *ergo* exprimeret veram deductionem C. si exprimit distincte quod immediate intuetur in ipso facto cogitandi N.

§ 2. — *De experientia externa.*

THESIS VII.

Experientia externa est fons cognitionis obiective certae.

St. Q. 1) Experientia externa est quae sensibus externis exercetur. Sensus externi sunt facultates, quibus percipimus obiecta, quae nos circumstant et corpora vocantur. Quinque numerantur: Visus, auditus, tactus, odoratus, gustus.

Eorum obiectum dicitur sensibile et dividitur:

a) in proprium et commune.

Proprium est quod singulis sensibus respondet et quintuplex distinguitur: Color, sonus, resistentia, odor, sapor.

Commune est ad quod percipiendum plures sensus simul requiruntur, et sunt v. g. Extensio, magnitudo, figura, motus, distantia.

Sensibilia propria dici solent etiam qualitates secundariae; communia autem etiam qualitates primariae.

b) Praeterea sensibile distinguitur in sensibile *per se* et *per accidens.*

Per se est sensibile quod *ratione sui* a sensu percipitur; v. g. color relate ad visum.

Per accidens est sensibile quod a sensu percipitur ratione sensibilis proprii, v. g. substantia corporea, quantitas relate ad visum.

Sunt qui tamen hanc distinctionem non admittunt.

2) Actus qui a sensibus externis eliciuntur dicuntur *sensationes*, quae obiective inspici possunt et subiective.

Obiective sunt repraesentiones obiecti, *apparenter saltem*, extra subiectum existentis.

Subiective sunt modificationes seu affectiones ipsius subiecti, et ut tales obiectum sunt experientiae internae seu conscientiae.

3) Quoad sensationes subiective inspectas nulla est controversia, omnes enim, ne scepticis quidem exceptis, admittunt, nos eas experiri ideoque in nobis esse.

Sed quoad sensationes obiective inspectas, etsi omnes admittant nos firmissima persuasione tenere eas nobis exhibere obiecta ut extra nos existentia, attamen sintne revera huiusmodi

obiecta extra nos posita, et si sint, sintne revera in se prout apparent, controversia habetur.

Primum negatur :

a) A subiectivistis, qui tenent sensationes, quae dicuntur externae, non esse nisi affectiones internas subiecti, ideoque nihil exhibere, quod sit extra subiectum positum.

b) Subiectivistis adhaerent idealistae, qui in plures dividuntur classes, sed tamen in hoc conveniunt quod negent subiectum cogitans posse suam activitatem transcendere, et quidquam praeter hanc attingere. De his dicemus in thesi distincta, cum idealismus sit tendentia philosophica temporibus nostris late diffusa.

Alterum negatur fere unanimiter a physicis, et a non paucis ex philosophis neo-scholasticis qui, distinctione facta inter qualitates primarias et secundarias, illas dicunt esse formaliter in rebus, seu in rebus esse prout apparent, has autem tenent formaliter esse in subiecto, et fundamentaliter, seu quoad excitativum, esse in rebus, ideoque quoad eas res non esse prouti apparent.

Haec altera quaestio cum sit disputata, de ea aliquid dicemus in aliquo scholio; in thesi solum defendimus sensationes externas realitatem vere externam nobis exhibere.

4) Ad difficultates tamen solvendas, haec sunt tenenda prae oculis :

a) Sensationis externae non est naturam obiecti sensibilis nobis manifestare, sed solum eius praesentiam.

b) In natura plurima dantur, quae, quamvis sint per se sensibilia, a sensibus tamen non percipiuntur, quia nimia distantia, vel nimia parvitas, nimia velocitas, vel tarditas nimia eos prohibet.

c) Sensus thesis non est, omnia quae sunt in realitate externa a sensibus referri, sed solum realitatis externae praesentiam ab eis referri.

d) Praeter haec, quae obiectum respiciunt, quaedam alia requiruntur ex parte tum medii, tum subiecti, quae nisi habeantur, sensatio normaliter perfici nequit; v. g. ut subiectum sit bene dispositum, et medium sit conveniens.

5) Thesi adversantur, ut innuimus, Subiectivistae et Idealistae, quibus tota realitas mundi sic dicti externi consistit in hoc quod percipiatur, iuxta eorum effatum : *Esse est percipi,* vel *percipere.*

Hisce explicatis probatur thesis.

Prob. *a) (Ex indole sensationis externae).*

Conscii sumus nos habere sensationes, quae non sunt

mere internae modificationes, sed repraesentationes obiecti externi, vel quod ita saltem evidentissime apparet; v. g. non solum conscius sum, me dolere, me cogitare, me phantasia ludere; sed etiam me videre hoc horologium, me tangere hoc tabulum, me olfacere hanc rosam etc.

Iamvero huiusmodi sensationes vel intuitiones reales, aut sunt exclusive a me, aut etiam ab obiectis a me distinctis.

Atqui 1um repugnat: optime enim discerno inter intuitiones illas reales, in quibus experior me quodammodo passivum et alias modificationes, quae a sola mea activitate dependent: has enim ad nutum meum possum cohibere, vel earum obiectum aliter et aliter effingere, illas autem non possum cohibere, neque earum obiectum aliter intueri, ac de facto intueor.

Ergo 2um tenendum est, nempe sensationes illas vel intuitiones reales, non a me solo esse, sed etiam ab obiectis a me distinctis; ergo dantur obiecta praeter subiectum.

b) Hoc evidentissime patet in sensatione tactili.

α) Conscius sum v. g. me experiri sensationes tactiles per diversas partes mei corporis, unde nullum dubium quin corpus meum sit vere extensum seu partibus constare aliis extra alias positis.

Atqui quod est vere extensum, est vere corpus.

Ergo corpus meum est vere corpus ideoque falsum est, quod idealistae absoluti tenent, nihil existere praeter spiritum.

β) Pariter conscius sum, cum tango v. g. hoc tabulum, me experiri duplicem modificationem extensam, unam activam, alteram passivam: experior enim simul *me tangere aliud*, et *me tangi ab alio;* sicut ergo certum est me esse vere estensum, ita certum est *aliud* esse vere extensum.

Atqui quod est vere extensum, est vere corpus.

Ergo est aliud vere corpus praeter meipsum; ideoque falsum est quod idealistae praetendunt, nihil dari praeter spiritum, vel spiritus.

Cor. Haec ratio extendi potest etiam ad alias sensationes externas; in singulis enim, ut physiologi docent, aliqua sentatio tactilis semper intervenit.

Solvuntur difficultates.

1ª Sensationes sunt modificationes subiecti.

D. Subiective sumptae C. obiective N.

Explico: Obiective sensationes sunt repraesentationes obiecti externi.

2ª Nulla est similitudo inter sensationes et obiecta externa.
D. Realiter Tr. intentionaliter N.
3ª Impossibile est corpora agere in spiritum.
D. Immediate Tr. mediate N.
4ª Sensus saepe falluntur.
D. Cum omnia interveniunt, quae requiruntur ut sensatio normaliter habeatur N. secus Tr.
5ª Nescimus quomodo corpora agant in nos.
D. Attamen scimus quod agant C. nescimus N.
6ª Hallucinati invincibili persuasione tenent existere extra se, quae revera non sunt.
D. Hic error est sensuum externorum N. phantasiae alteratae C.
7ª Plurimi tenent qualitates sensibiles non esse extra nos.
D. Primarias N. secundarias Sbd. tenent non esse formaliter C. non esse neque fundamentaliter Iter. d. tenent recte N. falso C.
8ª Deus potest sensationes rerum externarum producere, his non existentibus.
D. De potentia absoluta Tr. ordinata N.
9ª Terminus actionis immanentis est intra subiectum.
D. Terminus productionis C. Repraesentationis N.

Schol. *Utrum sensibilia, quae experientia externa attinguntur, sint talia in se, qualia apparent.*

1) Ex thesi demonstrata constat sensus externos realitatem vere externam percipere; ulterius quaeritur, utrum huiusmodi realitas sit talis in se, qualis per sensus exhibetur seu, aliis verbis, fit quaestio utrum qualitates sensibiles sint formaliter vel causaliter tantum in rebus.

2) Alii, nulla facta distinctione inter qualitates primarias et secundarias, mordicus tenent omnes esse formaliter in rebus, et hoc faciunt duplici maxime ratione ducti, quarum una est ipsius cognitionis indoles, quae in assimilatione consistit cognoscentis ad cognitum; altera est periculum incidendi in Idealismum: si enim concedatur qualitates secundarias esse formaliter in subiecto, cur non concedendum erit primarias quoque esse in subiecto.

3) Alii, facta distinctione inter qualitates primarias et secundarias, illas tenent esse formaliter in subiecto, has autem causaliter tantum, et hoc faciunt auctoritate physicorum maxime ducti, rationesque a fautoribus sententiae oppositae adductas facile solvunt; etenim ad eam quae ex indole cognitionis deducitur reponunt:

a) Non esse sensus praecipere naturam rerum; visus v.

g. refert album colorem, sed utrum obiectum sit *formaliter* album, vel *causaliter* tantum non est sensus dicere, sed intellectus, cuius est το *Esse* rerum percipere.

b) Cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum, optime, sed haec assimilatio non est ad modum *cogniti* sed *cognoscentis*, iuxta effatum : Quidquid recipitur per modum recipientis recipitur.

Ad alteram rationem, quae ex periculo incidendi in Idealismum deducitur, nemo non videt nullum adesse periculum, quia non eaedem rationes militant pro qualitatibus primariis et secundariis.

4) Quamvis pro priori sententia auctoritates militent non spernendae, altera tamen videtur nobis praeferenda ob maius pondus auctoritatum et rationum quae ex factis deducuntur. Et revera, si excipiatur *color*, qui maiorem facessit difficultatem, ceterae qualitates, nempe *odor*, *sonus*, *sapor*, absque ulla difficultate probantur esse formaliter in sensu ubi sentiuntur. Sed neque est valde difficile probare colorem esse formaliter in sensu; et prae ceteris experimentis sufficiat unum adducere, nempe sensationem *albi coloris*, vel *lucis albae* quam dicunt.

Constat hanc sensationem resultare ex impressione radiorum elementarium, quorum nullus est albus, et qui, cum componuntur, naturam suam retinent, ut physici docent. Ubinam ergo est lux alba, vel color albus ? certe non extra facultatem visivam, sed in hac facultate ad excitativum externum reagente (cf. Lahr. vol I, p. 111).

§ 3 — *De valore conceptuum universalium.*

THESIS VIII.

Universalia non sunt mera nomina, neque meri conceptus, sed valorem habent vere obiectivum: non ita tamen ut dicantur esse formae subsistentes extra singularia, vel formaliter existentes in ipsis singularibus; sed ita ut formaliter sint in mente, fundamentaliter autem in rebus.

St. Q. 1) Diximus de experientia tum interna, tum externa; dicamus nunc de cogitatione mentis, et primo de notionibus universalibus.

2) Universale iuxta vim vocis idem significat ac unum dicens respectum ad plura, et quintuplex distinguitur : in causando, in repraesentando, in significando, in essendo, in praedicando.

a) Universale in causando est unum aptum plura causare, v. g. Deus est universale in causando.

b) Universale in repraesentando est exemplar, ad cuius similitudinem plura possunt effici; v. g. idea archetypa in mente artificis.

c) Universale in significando est unum potens plura facere in cognitionem venire; v. g. vocabula.

d) Universale in essendo est unum aptum esse in pluribus; v. g. natura humana.

e) Universale in praedicando est unum aptum praedicari de pluribus; v. g. homo.

3) Thesis directe est de universali in praedicando, et de eo quaeritur utrum sit solum in significando, vel etiam in repraesentando; et si in repraesentando, utrum etiam in essendo, et quid sit illud esse reale, quod ei respondeat.

4) Plures dantur sententiae, quarum prima est Nominalium, qui generatim tenent universalia esse mera nomina communia. Dubitatur tamen utrum revera extiterint, qui docuerint universalia non esse nisi *merum flatum* vocis, cui nempe nihil omnino in mente respondeat. Sed extiterunt apud veteres, et adhuc apud modernos existunt, qui negant, nominibus communibus conceptus vere universales respondere: cognitionem intellectualem enim dicunt non esse nisi sensationem transformatam, et notiones, quae dicuntur universales, non esse nisi imagines communes ex similibus elementis constitutis: ita generatim Empiristae.

5) Altera sententia est Conceptualium, qui admittunt conceptus universales, negant tamen his quidquam reale respondere. Ita sentiunt omnes aprioristae, qui nempe explicant cognitionem humanam per synthesim *a priori*, quae fit applicatione formarum menti innatarum, vel ab ea confectis. His adnumerandi sunt kantiani et idealistae omnes.

6) Tertia sententia est Realistarum, qui tenent conceptibus universalibus aliquid vere reale respondere; cum tamen dissentiant quoad naturam huius realitatis, in tres alias classes subdividuntur:

a) Platonici, qui volunt notionibus universalibus respondere formas reales subsistentes extra singularia, in mundo quodam ideali in quo anima versata est, antequam in hunc mundum migraret. Huiusmodi notiones reviviscunt occasione rerum sensibilium, quae non sunt nisi apparentiae vel umbrae illarum. Scientia ergo non est nisi reminiscentia.

b) Qui *monismum realisticum* profitentur, iuxta quem universalia sunt formaliter in ipsis singularibus, quorum natura est realiter una et multiplex: una quoad essentiam, multi-

plex quoad accidentia; et sic v. g. omnes homines sunt unus realiter homo; pluralitas non habetur nisi accidentalis.

c) Qui *realismum moderatum* profitentur, ut sunt generatim omnes scholastici; qui distinguentes inter aniversale directum et reflexum, illud dicunt esse in singularibus quoad id quod concipitur, non autem quoad modum quo concipitur; hoc autem tenent esse formaliter in intellectu et fundamentaliter in rebus. Hanc sententiam nos tenemus.

7) Ad pleniorem huius sententiae intelligentiam haec sunt notanda :

a) Natura aliqua potest in triplici statu considerari: prout existit in rebus, prout existit in mente, prout praescindit ab utroque statu, seu in se ipsa.

In 1° statu natura est cum principiis vel notis individuantibus, ideoque essentialiter singularis et incommunicabilis.

In 2° statu natura est essentialiter communicabilis, seu dicens respectum ad plura in quibus est vel esse potest per identitatem seu numerice multiplicata, ideoque est essentialiter universalis.

In 3° statu natura non est neque singularis neque universalis, sed potest esse utrumque, prout contrahitur per principia individuantia ad hoc vel illud individuum; vel prout, praecisis notis individuantibus, consideratur per comparationem ad ea in quibus est, vel esse potest numerice multiplicata.

b) Ex his iam apparet universale constitui per duplicem mentis operationem, abstractionem nempe et comparationem : per abstractionem habetur natura una, absoluta, seu praecisa a notis individuantibus; per comparationem habetur respectus ad plura, qui est forma universalitatis.

Per abstractionem habetur universale directum, seu materiale, vel potentiale, cui nempe accidere potest forma universalitatis; per comparationem habetur universale reflexum, formale vel actuale, quod nempe actu habet formam universalitis, qui est respectus ad plura, in quibus natura expressa per universale directum est, vel esse potest per identitatem seu numerice multiplicata.

c) Ut universale formale, cuius characteres essentiales sunt *unitas* et *pluralitas*, probetur esse obiective reale, probandum est; utrumque characterem in rebus fundari.

8) Hisce explicatis, cum de adversariis sit satis dictum, probatur thesis, quae constat quatuor partibus :

1ª est contra Nominales.
2ª est contra Conceptuales.
3ª est contra Realistas exaggeratos.
4ª Realismum moderatum probat.

I. P. Prob. 1° *(Ex eo quod datur discrimen inter nomina communia et voces inanes, vel alicuius linguae ignotae).*

Datur certe discrimen inter nomina communia, de quibus in thesi, et vocabula inania, vel alicuius linguae ignotae.

Atqui non daretur, nisi nominibus communibus aliquid in mente responderet.

Ergo nominibus communibus aliquid in mente respondet.

Maj. Cum audio v. g. hoc nomen « *Homo* » aliquid percipio praeter ipsam vocem, nempe : « *animal rationale* » vel habens humanitatem; dum e contra, cum audio vocabulum inane vel alicuius linguae mihi ignotae, nihil percipio praeter solam vocem.

Min. Est per se clara. Si nihil daretur praeter nomen commune, nihil intelligerem praeter solam vocem, ideoque nullum discrimen inter nomen commune aliquod, et aliquod vocabulum inane, vel linguae mihi ignotae.

Nota : Rationabiliter dubitatur utrum revera fuerint nominales, qui hanc partem negarent, et dicerent nomina communia esse meras voces.

2° *(Ex eo quod illud quod respondet nominibus communibus, nihil commune habet cum imagine sensibili).*

Quod respondet nomini communi, v. g. « *Homo* » est constitutivum aliquod essentiale, unum, absolutum a quavis determinatione individuali, sive essentiali, sive accidentali, et aptum referri per identitatem pluribus sine numero.

Atqui huiusmodi characteres sunt omnino diversi a characteribus imaginis sensibilis « *hominis* »;haec enim aliquid exhibet non omnino absolutum a conditionibus accidentalibus, neque potest referri pluribus sine numero, sed huic determinato, vel his determinatis individuis.

Ergo quod respondet nominibus communibus nullo modo reduci potest ad imaginem sensibilem.

Maj. Cum audio vel dico « *homo* » nihil intelligo vel exprimo praeter subiectum naturae humanae, nihil omnino dicens de statura, de colore, de situ, et de aliis determinationibus individualibus ; et id quod exprimo dici potest per identitatem de pluribus indefinitis numero hominibus.

Min. Imago sensibilis « *hominis* » mihi exhibet hominem cum hac statura, hoc colore, situ et aliis accidentalibus determinationibus affectum ; neque potest pluribus numero indefinitis referri, sed huic determinato vel his determinatis individuis tantum referri potest.

3° *(Ex notione conceptus universalis).*

Nomen commune in tantum pluribus tribuitur distributive et univoce, in quantum mens percipit eorum similitudinem in aliqua ratione.

Atqui percipere similitudinem plurium in aliqua ratione, est habere conceptum universalem.

Ergo nominibus communibus respondent conceptus universales.

Maj. Est factum.

Hoc nomen *homo* v. g. tribuitur Petro, Paulo, Jacobo etc. quia communicant in natura specifica; *Animal* tribuitur homini et belluae quia conveniunt in genere proximo, et sic de ceteris. Mens igitur percipit similitudinem inter plura et rationem huius similitudinis, cum idem nomen pluribus attribuit.

Min. Conceptus universalis obiective sumptus est *ratio,* in qua plura, praecisis differentiis omnibus, conveniunt.

Atqui cum mens percipit similitudinem inter plura, percipit rationem in qua illa plura, praecisis differentiis omnibus, conveniunt.

Ergo cum mens percipit similitudinem inter plura, conceptum habet universalem. Hoc enim est universale: *Unum dicens habitudinem ad plura.*

II. P. Prob. 1° *(Ex eo quod nulla adest identitas inter praedicatum mere ideale et subiectum reale, de quo affirmatur).*

Conceptus universales, ipsis fatentibus adversariis, cum veritate affirmantur de subiectis realibus; cum veritate v. g. dicitur: *hic homo est vivens; hoc ferrum est corpus.*

Atqui si conceptibus universalibus nihil reale responderet, falso de subiectis realibus affirmarentur; non enim datur identitas inter subiectum reale et quid mere ideale.

Ergo conceptibus universalibus aliquid reale respondet.

2° *(Ex eo quod conscientia testatur nos conceptus universales haurire ex rebus, quarum experientiam habemus, vel e datis sensuum deducere).*

Conceptus reale fundamentum habent, si eos ex rebus haurimus, quarum experientiam habemus, vel ex datis sensuum deducimus.

Atqui, teste conscientia, ita res omnino se habet.

Ergo conceptus universales reale fundamentum habent.

Maj. Iam probatum est experientiam sive internam, sive externam esse fontem cognitionis obiective certae.

Min. Nullum de facto habemus conceptum proprium de re,

de qua nullam habemus experientiam, vel cuius notio ex datis experientiae deduci nequit; unde effatum : *omnis cognitio a sensibus incipit.*

3° Confirmatur ex facto notissimo. Ii qui aliquo sensu carent, privantur conceptibus propriis eorum quae sensu illo percipiuntur, quod certe non haberetur, si conceptus universales essent merum figmentum mentis.

III. P. Prob.

A — Platonismus refutatur.

1° *(Ex praedicabilitate universalium).*

Nequit praedicari per identitatem de individuis, quod est ab eis separatum.

Atqui universalia praedicantur per identitatem de individuis.

Ergo universalia nequeunt esse ab individuis separata.

2° *(Ex absurda sequela).*

a) Si universalia essent formae subsistentes extra singularia, accidentia et ipsae privationes essent formae subsistentes extra singularia.

Atqui absurdum consequens.

Ergo et antecedens.

Maj. Etiam de accidentibus et privationibus habentur conceptus universales.

Min. De ratione aecidentis et privationis est esse in subiecto.

b) (Haberetur tertius homo, quartus et quintus..... in indefinitum).

Homo idealis et hic homo, v. g. Socrates, aut conveniunt in homine, aut non.

Si 1um, habetur tertius homo, de quo participant homo idealis et Socrates; et consequenter quartus et quintus... in indefinitum.

Si 2um, hic homo, Socrates, est homo per aliquid quod ei non convenit.

Utrumque repugnat; ergo universalia non sunt formae subsistentes extra singularia.

B — Realismus monisticus refutatur.

1° *(Ex eo quod universale revera non explicat).*

Realitas, quae conceptui universali respondet, aut est realiter multiplicata, aut non,

Si 1um, non est universalis; quia universale est unum in multis, non unum in singulis.

Si 2um, aliquid habetur, quod repugnat manifestissimo conscientiae testimonio, ex quo constat *proprium* Ego ita apprehendi uti *proprium*, ut sit alteri incommunicabile.

Ergo universale non est formaliter in singularibus,

2° *(Ex eo quod ducit in Pantheismum).*

Si natura specifica est realiter una et eadem in omnibus individuis eiusdem speciei, nulla repugnantia in eo quod una substantia sit realiter una et eadem in omnibus substantiis. et ens sit realiter unum idemque in omnibus entibus.

Atqui hoc docet Pantheismus.

Ergo realismus monisticus ad Pantheismum ducit.

3° *(Ex eo quod singularibus convenirent praedicata universalium).*

Si universalitas alicui naturae competeret prout est in singularibus seu individuis, ipsis individuis convenirent praedicata, quae naturae universali competunt ratione universalitatis; ideoque hic homo, v. g. Socrates, non solum esset unus et multiplex quoad naturam, sed esset necessarius, immutabilis, aeternus, seu extralocalis et extratemporaneus, sicut ipsa natura humana quae in eo est.

Atqui haec repugnant.

Ergo universalia non sunt formaliter in ipsis singularibus.

IV. P. Prob. *a)* Universale est formaliter in mente. *(Ex notione universalis).*

Universale ibi est formaliter, ubi est natura actu una et actu dicens respectum ad plura.

Atqui in mente est natura actu una et actu dicens respectum ad plura.

Ergo in mente universale est formaliter.

Maj Per se intelligitur: universale enim formaliter inspectum est unum in multis.

Min. Natura aliqua fit actu una et actu dicens respectum ad plura per duplicem mentis operationem, abstractionem nempe et comparationem.

Atqui quod ita fit nonnisi in mente esse potest.

Ergo natura actu una et actu dicens respectum ad plura nonnisi in mente esse potest.

2ª *Maj.* Natura cum notis individuantibus seu prout est in rebus, non est actu una sed actu multiplex, quia realiter multiplicata cum individuis; ideoque fit actu una prout conside-

ratur praecisa a notis individuantibus, et hoc ipso fit apta communicari et dici de pluribus, seu potentia universalis; fit autem actu universalis, cum mens actu cognoscit hanc communicabilitatem.

2ª *Min.* Quod per mentis operationem constituitur, nonnisi in mente esse potest.

b) Fundamentaliter in rebus.

(Ex analysi cognitionis).

Nota. Duplex distinguendum est fundamentum universalis, proximum et remotum : proximum est natura absoluta a notis individuantibus, quae in se non est neque universalis neque singularis ; remotum est ipsa natura in statu contractionis, seu prout est in singularibus, quae quamvis sit singularis et incommunicabilis prout est in individuis, non excludit tamen quod habeantur alia et alia individua similia in eadem natura, et haec similitudo, quae habetur vel haberi potest inter plura, est fundamentum reale universalis formalis.

Arg. Universale formale proxime nititur in natura absoluta, seu abstracta a notis individuantibus : est enim haec ipsa natura considerata prout apta est esse in pluribus numerice multiplicata, et de eis praedicari univoce, distributive et divisim.

Atqui natura absoluta, quamvis secundum modum quo concipitur non sit in rebus, secundum id tamen quod concipitur in rebus est.

Ergo universale formale, quamvis proxime fundetur in natura abstracta a notis individuantibus, ultimo tamen in rebus ipsis fundatur.

Maj. Ex analysi cognitionis eruitur.

Min. Item. Tribuimus individuis ipsam naturam quam in ipsis apprehendimus, sed non prout est in ipsis seu cum nobis individuantibus, sed prout apprehenditur a notis individuantibus praecisa : haec enim hoc modo apprehensa, et non prout est cum notis individuantibus, de pluribus praedicatur, vel praedicari potest univoce, distributive et divisim.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am P.

1ª Quidquid est praeter mentis cognitionem est singulare.

D. Cuius natura tamen intelligi potest sine singularitate C. non potest N.

2ª Natura et singularitas sunt unum idemque.

D. Realiter C. formaliter N.

Explico: De ratione hominis v. g. est ut sit animal rationale, ideoque non potest homo intelligi, quin intelligatur animal rationale; sed non est de ratione hominis ut habeat hunc organismum, hanc staturam; ut sit doctus, ut sit albus, etc. ideoque potest homo intelligi quin intelligantur illae omnes determinationes individuales.

3ª Imagines compositae pluribus convenire possunt.

D. Ad modum typi, qui pluribus sine numero referri possit N. ad modum medii, quod ad hoc vel illud, vel etiam plura sed semper determinata refertur C.

4ª Nominibus communibus respondent imagines multiplices cum tendentia applicandi eis idem nomen.

D. Et nihil aliud N. etiam conceptus, qui reduci nequeunt ad imagines C.

Explico: Propter substantialem unionem animae cum corpore, et dependentiam extrinsecam intellectus a sensibus, semper conceptus aliquis imagine aliqua sensibili vestitum sese exhibet; sed esse vestitum imagine sensibili, non idem est ac esse imaginem sensibilem.

5ª Sed illis sublatis, nihil remanet.

D. Consequenter Tr. formaliter N.

Decl. Sunt quidam conceptus, qui nulla imagine sensibili vestiti exhibentur, nisi velit dici imago sensibilis ipsum nomen quo designantur; huiusmodi sunt v. g. conceptus scientiae, virtutis, relationis, etc.

6ª Obiectum intellectus non differt ab obiecto sensus.

D. Idem obiectum eodem modo percipitur ab intellectu et sensu N. idem obiectum, sed diverso modo percipitur ab intellectu et sensu C.

Contra 2am **P.**

1ª Non potest mens intelligere plura in eadem ratione convenire, nisi prius eandem rationem ut communem intelligat.

D. Ad hoc sufficit abstractio et comparatio simplex C. requiritur abstractio et comparatio complexa N.

Explico: Abstractio et comparatio duplex distinguitur: Simplex et complexa.

Simplex abstractio fit naturaliter ab omni facultate perceptiva, et habetur, cum ex pluribus connexis unum apprehenditur sine aliis.

Complexa vel per modum compositionis seu iudicii habetur, cum iudicatur aliud esse sine alio.

Comparatio simplex habetur cum natura aliqua intelligitur sine singularitate, ideoque apta esse in pluribus.

Comparatio complexa seu per modum compositionis habetur,

cum mens actu iudicat naturam aliquam esse pluribus communicabilem.

2ª Mens in cognitione directa passive se habet.

Atqui non se haberet, si abstraheret naturam a singularitate.

Ergo mens in ea non abstrahit naturam a singularitate.

D. Maj. Passive se habet *quoad modum quo* N. quoad *id quod* Sbd. quoad receptionem speciei intentionalis C. hac recepta N.

Cdm.–N. c.

3ª Apprehendere singularia sub forma universali est ea apprehendere aliter ac sunt.

D. Si ipse modus rebus refertur C. Si non modus, sed id quod percipitur, rebus refertur N.

Explico: Cum mens apprehendit naturam sine singularitate, non iudicat eam esse sicut apprehenditur; sed simpliciter eam apprehendit sine individuo; v. g. *hominem* sine Petro vel Paulo.

4ª Quod exprimitur notione universali existere nequit.

D. Existere nequit secundum modum quo exprimitur C. secundum id quod exprimitur N.

5ª Nihil est in rebus commune pluribus.

D. Non est formaliter C. fundamentaliter N.

Contra 3am **P.**

1ª Quod est necessarium, aeternum, immutabile est extra singularia.

D. Quod est necessarium, aeternum, immutabile quoad existentiam C. quoad essentiam praecisive inspectam tantum N.

Explico: Universalia dicuntur necessaria quoad essentiam absolute inspectam, quia haec non potest non concipi illis et non aliis notis constitutam. Consequenter dicuntur immutabilia et aeterna quoad ipsam essentiam praecisive inspectam; semper enim et ubique haec talibus et non aliis notis constituta concipienda est.

2ª Obiectum scientiae est simul universale et reale.

D. Est universale secundum *modum quo* et reale secundum *id quod* C. reale secundum *modum quo* Sbd. fundamentaliter C. formaliter N.

3ª Quod *qua tale* concipi potest, *qua tale* existere potest.

D. Si concipi potest ut potens *qua tale* existere C. secus N.

4ª Obiectum scientiae praeexistit scientiae.

D. Materiale C. formale Sbd. secundum *id quod* C. secundum *modum quo* N.

5ª Natura in pluribus est una et eadem ante operationem mentis.

D. Est una formaliter C. materialiter Sbd. est una in singulis C. in omnibus simul N.

6ª Natura *per se,* seu indipendenter a mentis operatione, est indifferens ut sit in pluribus.

D. Absoluta C. prout est in individuo Sbd. unum individuum non excludit aliud *simile* in natura C. non excludit aliud habens eandem numero naturam N.

Contra 4am **P.**

1ª Unitas essentialis est universalis.

Atqui unitas essentialis non pendet a mentis operatione.

Ergo neque universalitas.

D. Maj. Quaevis essentia est una specifice C. numerice Sbd. in singulis individuis C. in omnibus simul N.

D. Min. Numerica C. specifica Sbd. quaad id quod C. quoad modum quo N. – N. c.

2ª Nemo dat quod non habet.

Atqui intellectus non habet universalitatem.

Ergo nequit dare.

D. Maj. Si non habet neque formaliter neque virtualiter C. si non habet formaliter, habet tamen virtualiter N.

Cdm.

D. C. Nequit conferre universalitatem physicam C. logicam N.

3ª Quod nonnisi in mente existere potest, est ens mere logicum.

D. Si tum *quoad id quod,* tum *quoad modum quo* nonnisi in mente existere potest C. si solum *quoad modum quo* Sbd. est ens logicum cum fundamento in re C. absque fundamento in re N.

4° Cognitio nequit rem transmutare a singulari in universalem.

D. Physice C. intentionaliter Sbd. si non adest fundamentum reale C. si adest N.

5ª Si tota natura praescindi potest ab individuo, tota est in individuo.

D. Tota quoad comprehensionem C. quoad extensionem N.

§ 4 — *De valore iudicii immediati et ratiocinii deductivi.*

THESIS IX.

Mens in iudiciis analyticis immediatis proferendis, et eis, quae deductione ex aliis inferuntur, motivo ducitur vere obiectivo: est autem deductio medium aptum ad cognitiones vere novas comparandas; neque in ea mens errare potest, nisi per accidens.

St. Q. 1) Iudicium analyticum est illud in quo nexus subiectum inter et praedicatum ex analysi terminorum menti innotescit, ex eo quod praedicatum vel formaliter vel exigitive est de ratione subiecti. Si in facienda analysi terminorum nullus alius intervenit medius terminus, iudicium dicitur analyticum immediatum; si vero medius terminus opus est, iudicium dicitur analyticum mediatum. Sunt v. g. iudicia analytica immediata: « *Totum est maius sua parte* ». « *Idem non potest simul esse et non esse* ». « *Quidquid contingenter existit, causam habet* ». Sunt e contra iudicia analytica mediata. « *Deus est* ». « *Anima est immortalis* ». « *Homo est risibilis* ».

Iudicio analytico opponitur syntheticum, quod est illud in quo nexus subiectum inter et praedicatum ex experientia propria vel aliena menti innotescit; huiusmodi sunt v. g: « *Hic ignis urit* ». « *Nix est alba* ». « *Caesar fuit dux strenuissimus* ».

Iudicium analyticum dici solet etiam *a priori*, quia nexus terminorum affirmatur independenter ab experientia: syntheticum autem, propter oppositam rationem, dici solet etiam *a posteriori*.

Nota. Non est confundendum iudicium a posteriori cum iudicio in quo nexus affirmatur ex demonstratione *a posteriori;* hoc enim esse potest analyticum, si praedicatum formaliter vel exigitive est de ratione subiecti, ut est v. g. hoc iudicium: « *Deus est* »; illud autem non.

2) Praeter iudicia analytica et synthetica Kant alia excogitavit, quae *synthetica a priori* vocavit: *synthetica*, quia in eis praedicatum est praeter notionem subiecti, ideoque extensiva sunt cognitionis humanae; *a priori*, quia cum sint necessaria et universalia, eorum valor ab experientia non pendet, sed a mente conficiuntur per *synthesim a priori*, seu per applicationem formarum cogitandi menti innatarum ad elementum materiale et informe, quod ab ignoto *x*, quae est res in se, suppeditatur.

Hoc fecit Kant ad valorem scientiae in tuto ponendum, ut

ipse putabat: cum enim a somno dogmatico, ut ipse aiebat, per doctrinam Hume expergefactus sit, in ipsius scientiae fundamenta inquirere voluit et tunc primum notavit huiusmodi fundamenta reperiri non posse neque in iudiciis analyticis, neque syntheticis: non in iudiciis analyticis, quia haec, quamvis sint necessaria et universalia, non sunt tamen extensiva, sed mere explicativa, cum in eis praedicatum non sit nisi subiectum ipsum cuius essentiam explicet: non in iudiciis syntheticis, quia huiusmodi, quamvis sint extensiva, non sunt tamen necessaria et universalia, cum de rebus sint, quae experientiae obversantur; ergo nisi dentur alia, quae sint simul extensiva, necessaria et universalia, actum est de valore scientiae. Dari autem haec alia, Kant ostendit exemplis collatis ex diversis scientiis; sed quid de eis tenendum sit, infra in apposita thesi dicetur.

In altera thesis parte expresse tangitur valor deductionis vel syllogismi, qui, ut in Dialectica dictum est, argumentatio est in qua, duabus propositionibus convenienter positis, tertia necessario ponenda est, praecise quia illae sunt positae. Iudicia, quae deductione inferuntur, omnia sunt mediata, ut patet, sed ex eis alia sunt analytica, alia synthetica, pro ratione eorum de quibus feruntur.

3) Thesi adversantur:

a) Quoad 1am partem: α) qui, duce Kant, notionem iudicii analytici coarctantes, ipsum tenent esse meram tautologiam: excludunt enim ex eius ambitu ea, in quibus praedicatum non formaliter, sed exigitive est de ratione subiecti, ut sunt v. g. « *Homo est visibilis* ». « *Quidquid contingenter existit, habet causam* ». β) Qui iuxta scholae scoticae placita putant iudicia analytica proferri ex caeco naturae instinctu.

b) Quoad alteram partem thesi adversantur empiristae generatim, qui tenent syllogismum esse medium ineptum ad novas veritates cognoscendas; non enim aliud est tandem aliquando nisi circulus vitiosus. Ita Sextus Empiricus, Baco a Verulamio, Bain, Stuart Mill et alii.

4) Thesis habet duas partes:

1ª Mens in iudiciis analyticis immediatis proferendis et in eis, quae deductione ex aliis inferuntur, motivo vere obiectivo ducitur.

2ª Est autem deductio medium aptum ad novas veritates cognoscendas; neque in ea mens errare potest nisi *per accidens*.

I. P. Prob. 1ª prop: Mens in iudiciis analyticis immediatis proferendis motivo vere obiectivo ducitur.

a) (Ex testimonio conscientiae),

Mihi conscius sum, me non proferre iudicium analyticum, etiam immediatum, donec perspiciam nexum subiectum inter et praedicatum.

Atqui iudicium aliquod proferre ex perspicientia nexus, idem est ac mentem motivo vere obiectivo duci in eo proferendo.

Ergo mens in iudiciis analyticis immediatis proferendis motivo ducitur vere obiectivo.

Maj. Non profero iudicium statim ac termini menti obversantur; sed nisi perspiciam nexum subiectum inter et praedicatum, dubito vel opinor de re, de qua agitur: quod certe non haberetur, si iudicium analyticum esset necessario a priori vel ex naturae instinctu prolatum.

Min. Conceditur.

b) (Ex eo quod ex analysi subiecti, cuius valor est realis, nonnisi praedicatum erui potest, quod ei realiter conveniat, vel ratio, cur subiectum praedicatum illud exigat).

Ex analysi subiecti, cuius valor est realis, nonnisi praedicatum erui potest, quod ei realiter conveniat, vel ratio cur subiectum illud praedicatum realiter exigat.

Atqui hoc est, mentem motivo vere obiectivo duci in iudiciis immediatis proferendis.

Ergo mens in iudiciis analyticis immediatis proferendis motivo vere obiectivo ducitur.

Maj. Per se intelligitur. Subiectum reale, vel cuius valor est realis, nonnisi elementis eiusdem valoris constitui potest. Quod autem notio subiecti valorem habeat realem, patet ex eo quod primae notiones ex rebus sensibilibus hauriuntur; huiusmodi sunt v. g. notiones entis, substantiae, accidentis, causae, effectus, unius, totius, identitatis, distinctionis etc.

Nota. Rationes allatae etiam pro iudiciis analyticis mediatis valent, quae ab immediatis non differunt, nisi quoad modum cognoscendi nexum.

2ª Prop. Mens in iudiciis, quae ab aliis deductione inferuntur; motivo ducitur vere obiectivo.

Nota. Haec propositio est de quovis iudicio mediato, quod ratiocinio deductivo profertur, et non de solis iudiciis analyticis mediatis.

Prob. *(Ex eo quod mens in huiusmodi iudiciis proferendis movetur a perspicientia nexus).*

Mens in iudiciis, quae deductione ex aliis inferuntur, movetur perspicientia nexus subiectum inter praedicatum.

Atqui hoc perinde est ac mentem in eiusmodi iudiciis inferendis motivo vere obiectivo moveri.

Ergo mens in iudiciis deductione ex aliis inferendis motivo vere obiectivo movetur.

Maj. Constat *a)* ex principio identitatis vel discrepantiae, *b)* ex eo quod mens non assentitur, donec non appareat nexus subiectum inter et praedicatum.

Min. Per se intelligitur.

II. P. Prob. 1ª prop: Deductio est medium aptum ad veritates vere novas detegendas.

Arg. Ope ratiocinii deductivi cognoscuntur:

a) Relationes dependentiae et ordinis veritatum inter se.

b) Relationes inter experientiae obiecta, quas experientia sola non patefacit.

c) Relationes idearum, quae per solam analysim vel comparationem non apparent.

d) Ex effectibus vel signis ad notionem causae vel rei significatae pervenitur.

Atqui nemo non videt huiusmodi esse cognitiones vere novas.

Ergo ope ratiocinii deductivi cognitiones vere novae comparantur.

Praeterea:

Si ope ratiocinii deductivi nihil novi cognosceretur, tunc, habitis terminis conclusionis, semper cognosceretur eorum nexus.

Atqui oppositum omnino obtinet.

Ergo ope ratiocinii deductivi aliquid vere novi cognoscitur.

Maj. Per se intelligitur.

Min. Ex exemplis plene innumeris constat, tum in philosophia, tum in ceteris scientiis, maxime mathesi.

Denique:

Cognitio formalis alicuius rei certe aliquid plus est quam cognitio virtualis eiusdem.

Atqui ope ratiocinii deductivi cognitio formalis acquiritur eorum, quae in principiis solum virtualiter cognoscuntur.

Ergo ope ratiocinii deductivi aliquid vere novi cognoscitur.

Confirmatur. Ratiocinium inductivum, quod solum empiristae tenent medium aptum ad progressum scientiae, tandem aliquando resolvitur, ut in Dialectica ostendimus, in ratiocinium deductivum; si ergo hoc ineptum est ad cognitiones

vere novas comparandas, etiam illud ineptum erit, ideoque totum aedificium scientificum ruet.

2ª prop: Mens in iudiciis deductione ex aliis inferendis errare nequit nisi *per accidens*.

Prob. Ut mens in iudiciis deductione ex aliis inferendis non erret, haec tria verificari debent:

a) Ut ex praemissis certo veris fiat initium.

b) Ut mens in toto demonstrationis decursu numquam distrahatur.

c) Ut continuo memoriae auxilio adiuvetur. Si aliquid ex his tribus deest, mens in errorem incidere potest.

Atqui hoc est errare *per accidens*.

Ergo mens in iudiciis deductione ex aliis inferendis errare potest *per accidens*.

Nota. Quod non possit errare *per se* satis constat ex dictis: ex praemissis enim certo veris, in bona consequentia, nonnisi conclusio certo vera *per se* deduci potest.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am P.

1ª Quaevis demonstratio, quae fit ad obiectivitatem cognitionis patefaciendam, hanc ipsam obiectivitatem supponit.

D. Demonstratio stricte sumpta C. late sumpta, nempe constatatio, quae fit per reflexionem signatam in actum cognitionis, Sbd. supponit ontologice C. logice N.

2ª Ut mens cognosceret, se in iudiciis immediatis proferendis duci motivo vere obiectivo, cognoscere deberet naturam intimam idearum.

D. Cognoscere deberet naturam idearum, in quantum sunt repraesentatio obiecti C. in quantum sunt affectiones subiecti Sbd. cognoscere deberet cognitione directa N. reflexa, iter. D. cognoscere deberet cognitione adaequata N. aliquali C.

Declar. Quod magis interest in praesenti quaestione, non est determinare naturam idearum, hoc enim pertinet ad psychologiam, sed earum obiectivitatem, utrum nempe illud quod repraesentant, sit quid revera *obiectivum*.

3ª Mens in iudiciis analyticis immediatis properendis nonnisi ideas a se confectas in unum componit.

D. A se confectis *quoad id quod* repraesentant N. quoad *modum quo* C.

Declar. Notiones universales fundamentum reale habent, ut constat ex thesi de universalibus: neque nexus earum a mente

conficitur, sed ab ea apprehenditur, ut reflexione cuique manifestum est.

4ª Iudicia analytica immediata non sunt extensiva cognitionis, cum non nisi ad meras tautologias reducantur.

D. Ea, in quibus praedicatum est *exigitive* de ratione subiecti N. in quibus praedicatum est *formaliter* de ratione subiecti Sbd. sunt merae tautologiae si obiective spectantur Tr. subiective N.

Explic. Kant arbitrario restrinxit notionem iudicii analytici excludens ex eius ambitu ea, in quibus praedicatum *exigitive* est de ratione subiecti ut est v. g. « *Homo est risibilis* » ; et tantum ea retinuit, in quibus praedicatum est de comprehensione subiecti. Sed neque haec dici possunt merae tautologiae; subiectum iudicii enim confuse et implicite dicit quod praedicatum distincte et explicite manifestat, quod non est omnino idem.

5ª Iudicia analytica revera non dantur, quia omnia iudicia ab experientia pendent.

R. N. asser. — Ad ration. D. omnia iudicia *materialiter* inspecta ab experientia pendent Tr. *formaliter* inspecta N.

Decl. Materia iudicii sunt termini, seu notiones subiecti et praedicati, quae ultimo ab experientia pendent, quia omnis nostra cognitio a sensibus incipit ; *forma* iudicii est nexus terminorum, qui non semper affirmatur dependenter ab experientia ; nexus v. g. inter « Homo » et « animal rationale » adesset semper, etiamsi nullus revera homo existeret.

6ª In omni iudicio praedicatum ad subiectum pertinet.

D. h. e. est de ratione ipsius N. cum eo *materialiter* identificatur C.

Contra 2am **P.**

1ª Conclusio continetur in praemissis.

D. Virtualiter C. formaliter N.

Declar. In hoc syllogismo v. g:

Homo est mortalis.

Petrus est homo.

Petrus est mortalis.

Conclusio « Petrus est mortalis » *formaliter* differt ab utraque praemissa : in 1ª enim affirmatur *mortalis* non de Petro, sed de *omni homine* ; in 2° affirmatur de Petro non « *mortalis* » sed « *homo* ».

2ª Qui ratiocinium instituit aut cognoscit conclusionem, aut non.

Si 1um, nihil novi cognoscit per ratiocinium.

Si 2um, ad quid quaerit, quod nescit ?

R. addo 3um: aut cognoscit simul et non cognoscit, sed sub diverso respectu, nempe cognoscit *materialiter*, sed non *formaliter*.

Ad 1um D. si ante ratiocinium cognoscit formaliter conclusionem C. si materialiter tantum N.

Ad 2um D. si neque materialiter cognosceret C. secus N.

3ª Finis est prior in cognitione quam media.

D. Finis, quod est bonum voluntatis C. quod est bonum intellectus. N.

Decl. Bonum intellectus cognitione attingitur, ideoque non est cognoscendum antequam cognoscatur; bonum voluntatis est cognoscendum antequam intendatur: « nihil enim volitum nisi praecognitum »

4ª Veritas propositionis universalis pendet a veritate particularium.

D. Si praedicatum est de ratione subiecti N. si non est Tr.

5ª Ut mens cognosceret se non errare in ratiocinio conficiendo, deberet scire se omnia servasse, quae necessaria sunt ad recte discurrendum.

D. Omnia quae requiruntur ad artificiosam dispositionem terminorum et propositionum N. principia identitatis et discrepantiae, ex quibus facile concluditur, utrum duo inter se conveniant vel non C.

6ª Memoria, qua mens utitur in discurrendo, est valde labilis.

D. Semper errat N. aliquando Sbd. ita ut mens, attentione adhibita, cavere possit errorem C. non possit N.

7ª Discursus est fons omnium errorum,

D. Eius abusus C. eius rectus usus N.

§ 5 — *De valore inductionis.*

THESIS X.

Iudicia universalia, quae inductione colliguntur, sunt obiective certa: eorum tamen necessitas et universalitas non in sola experientia nititur, sed in iudicio aliquo analytico ultimo fundatur.

St. Q. 1) Inductio generatim dici potest transitus mentis a particulari ad universale.

Duplex distinguitur: abstractiva et argumentativa.

Abstractiva in eo consistit, quod mens in obiecto singulari naturam apprehendit, omissa singularitate: haec valde improprie dicitur inductio.

Argumentativa in eo consistit, quod mens concludit de su-

biecto universaliter sumpto praedicatum, quod ex experimentis sufficienter repetitis pluribus ex inferioribus convenire inventum est. Haec est proprie dicta inductio, quae duplex pariter distinguitur: completa et incompleta.

Completa habetur cum omnia et singula inferiora explorata sunt. De hac non est thesis, cum de eius valore nulla fiat quaestio.

Incompleta habetur cum ex pluribus inferioribus exploratis concluditur ad omnia.

De hac est thesis, cum de eius valore acris sit controversia; quaeritur enim quo iure mens ex pluribus relative paucis ex inferioribus transeat ad omnia et singula, cuiusvis temporis et loci.

2) In inductione, de qua in thesi, tria distingui possunt momenta: *Verificatio* factorum, quae fit observatione et experimentatione; *inquisitio* causae, seu interpretatio experientiae; *generalisatio* seu constitutio legis. Inductio proprie consistit in hoc tertio momento, et de eo quaeritur, quodnam sit eius fundamentum.

Plures extant sententiae, quarum praecipuae sunt:

a) Prima est eorum, qui cum Wolfio tenent iudicia universalia, quae inductione efformantur, in quantum referuntur ad casus, qui non sunt explorati, non esse certa, sed sola probabilitate gaudere.

b) Altera est eorum, qui cum Hume fundamentum inductionis reponunt in principio ex habitudine efformato « *Futurum est simile praeterito* »; vel cum Stuart Mill in alio « *Cursus naturae est uniformis* ».

c) Tertia eorum est, qui cum Thoma Reid repetunt fundamentum inductionis ex principio instinctu quodam acquisito « *Leges naturae sunt stabiles et universales* ».

d) Quarta est eorum qui cum Kant ad iudicium aliquod syntheticum a priori confugiunt.

e) Quinta denique est Scholasticorum, qui, supposita experientia, tenent generalisationem fieri per applicationem alicuius principii analytici, quod iuxta potiorem partem est rationis sufficientis vel causalitatis principium.

3) His praeiactis, probatur thesis, quae una tantum concluditur parte.

Prob. *(Ex eo quod in iudiciis universalibus, quae inductione colliguntur, omnia verificantur, quae requiruntur et sufficiunt, ut dicantur obiective certa).*

Arg. Ut iudicia universalia, quae inductione colliguntur dicantur obiective certa, certo constare debet, causam facti,

de quo agitur, esse vel ipsam rei naturam, vel legem ab ipsa rei natura profluentem.

Atqui haec duo certo constare possunt.

Ergo indicia universalia, quae inductione colliguntur, sunt obiective certa.

Maj. Per se intelligitur: natura rei enim, vel lex ab ipsa dimanans, semper et ubique in eisdem conditionibus eundem effectum sortiuntur.

Min. Ut certo constet causam alicuius facti esse ipsam rei naturam, vel legem ab ipsam manantem, haec tria requiruntur et sufficiunt:

a) Ut factum sit diligenter exploratum.

b) Ut praesto sint normae, quibus innixa mens sine errore procedat in inquisitionem causae.

c) Ut detur principium, vi cuius generalisatio legitime fiat.

Atqui haec tria habentur.

Ergo certo constare potest causam alicuius facti esse ipsam rei naturam, vel legem ab ipsa natura rei fluentem.

Maj. Intelligitur: non enim videtur aliud requiri, ut possit causa alicuius facti cum certitudine affirmari.

Min. decl.:

a) Exploratio facti fit per observationem et experimentationem pluries repetitam, mutatis adiunctis.

b) Normae, quibus mens innixa sine errore procedere potest ad inquisitionem causae, hae sunt praecipuae:

α) *Methodus concordantiae:* Si antecedentia alicuius facti omnia variantur, excepto uno, quod cum facto semper concordat, illud unum est causa facti.

β) *Methodus differentiae:* Si adiuncta in quibus factum verificatur, et adiuncta, in quibus non verificatur, differunt tantum in uno, hoc unum est causa facti.

γ) *Methodus variationum:* Si variante facto, omnia adiuncta immutata manent, excepto uno, hoc unum est causa facti.

δ) *Methodus residuorum:* Si phaenomenum aliquod est complexum, et pars elementorum eius ex adiunctis procedit aliunde notis, reliqua pars in reliqua parte adiunctorum causam habet.

c) Principium analyticum, vi cuius legitime fieri potest generalisatio, est principium rationis sufficientis vel causalitatis, ex cuius applicatione legitime concluditur, explicationem alicuius facti esse in ipsa rei natura, vel lege ex natura rei manante, cum factum constans et uniforme causam constantem et uniformem postulet.

Cor. Ex dictis deducitur :

a) Inductionem, de qua in thesi, esse veram demonstrationem *a posteriori,* quae facile exponi potest sub forma ratiocinii deductivi mixti, cuius maior sit iudicium analyticum, minor iudicium syntheticum ; hoc fere modo :

« Quod naturam ipsam alicuius rei causam habet, vel legem ab ipsa rei natura manantem, semper et ubique verificari oportet, cum adsint entia eandem naturam participantia, vel quae eadem lege reguntur.

Atqui *hoc factum,* uti ex experimentis sufficienter repetitis evidenter constat, ipsam rei naturàm habet causam, vel legem a rei natura manantem.

Ergo *hoc factum* verificari oportet ubique et semper, cum adsint entia eandem naturam participantia, vel quae eadem lege reguntur ».

b) Deducitur insuper ex dictis, similitudinem inter praeteritum et futurum non fundari in sola experientia (Galluppi); neque in persuasione tantum subiectiva, orta vel ex consuetudine (Hume), vel ex naturae instinctu (Reid), vel ex aliquo iudicio synthetico a priori (Kant) ; sed in experientia, qua rerum natura et essentia cognoscitur, et valore principii causalitatis, vel rationis sufficientis.

c) Denique deducitur, nos inductione cognoscere non solum quae sunt rebus accidentalia, uti volunt Stuart Mill et empiristae, sed etiam ea quae rebus sunt essentialia.

Cf. Pesh. Institutiones logicales. Vol. 2, n. 749.

Solvuntur difficultates.

1ª Persuasio qua iudicamus futurum esse simile praeterito, aut experientia nititur, aut ratione.

Atqui non 1um, quia experientia est de solis praesentibus.

Non 2um, secus haec persuasio in infantibus non esset.

Ergo persuasio, qua putamus futurum simile praeterito, omni valore obiectivo caret.

R. Addo 3um : aut persuasio illa nititur simul experientia et ratione.

Ad 1um D. Attamen ex datis experientiae cognosci potest vera causa facti, et applicatione principii causalitatis et rationis sufficientis statui lex generalis C. non potest N.

Ad 2um D. Sola ratione C. ratione datis experientiae innixa N.

Ad rationem additam: Persuasio in infantibus satis explicatur per associationem imaginum et memoriam sensitivam.

In thesi quaerimus undenam valor inductionis in homine ratione utente.

2ª Persuasio, qua putatur futurum esse simile praeterito, potest etiam in homine exculto repeti ex consuetudine videndi aliquod phaenomenon semper post alterum sequi (Hume).

D. Ex consuetudine, qua assurgitur ad naturam vel legem, ex qua derivat phaenomenum et vi cuius formulatur principium : « *Futurum est simile praeterito* » C. ex sola consuetudine N.

3ª Experientia pluries repetita satis est ad universale iudicium efformandum (Stuart Mill, Galluppi).

D. Experientia sola N. applicato etiam principio analytico, de cuius valore iam in antecessum constat C.

4ª Potest persuasio ex inductione orta explicari per experientiam , quae elementum materiale suppeditat , et formam aliquam subiectivam menti naturaliter inditam (Kant).

D. Per formam mere subiectivam N. quae valorem vere obiectivum habeat C.

5ª Inest naturae humanae instinctus ad generalisationem eorum, quae experientia offert (Reid).

D. Hic instinctus est conditio ex parte subiecti C. est ratio sufficiens generalisationis N.

6ª Possunt iudicia synthetica universalia repeti ex idealisatione, qua *putat* mens dari nexum causalem inter phaenomenum aliquod et suum antecedens (Dugald-Steward).

D. Putat fundamento vere obiectivo innixa et applicatione principii causalitatis, vel rationis sufficientis C. secus N.

7ª Cum leges naturae sint contingentes, iudicia quae in ipsis nituntur vera certitudine non gaudent.

D. Sunt contingentes, h. e. positis requisitis ad agendum, possunt sortiri effectum vel non N. h. e. absolute loquendo possunt non omnes conditiones verificari et effectum non sequi Sbd. ideoque certitudinem metaphysicam non gignunt C. nullam gignunt N.

8ª Definiri nequit quinam numerus experimentorum requiratur, ut statuatur lex.

D. In omnibus N. in aliquibus Tr. (Cf. Pesch. Vol. 2, n. 744–749).

CAP. III.

De fonte externo

THESIS XI.

Testimonium historicum in datis adiunctis veram gignit certitudinem : dantur praeterea iudicia, quae sensus communis dicuntur, in quibus falsitas esse nequit.

St. Q. 1) Testimonium generatim dicitur actus, quo quis ea quae scit, aliis manifestat.

Ratione personae distinguitur in divinum et humanum, prout Deum vel hominem habet auctorem.

Ratione obiecti est doctrinale vel historicum, prout id quod manifestatur est doctrina quaedam vel factum.

Ratione medii quo fit, est orale, scriptum vel residuum, prout manifestatio fit ore, scriptis vel rebus, ut sunt arcus triumphales, trophaea, reliquiae, rudera etc.

Thesis est de testimonio historico, in quo tria consideranda veniunt: Testis, auctoritas, fides.

a) Testis est qui testimonium facit, et distinguitur in coaevum, supparem, remotum, prout vixit eodem tempore, quo factum, quod narrat, evenit, vel paulo post, vel multo post.

Est praeterea immediatus vel mediatus, prout ea quae narrat, ipse suis facultatibus percepit, vel ab aliis accepit.

b) Auctoritas est ius merendi fidem. Hoc tamen ius non est accipiendum moraliter vel iuridice, sed criteriologice, in quantum nempe testimonium talibus insignitur characteribus, ut quis rationabiliter ei credat.

Auctoritas nititur proxime in scientia et veracitate testis; remote autem in duabus legibus moralibus : « *Omnis homo scire desiderat* » ; « *Nemo gratis mentitur* ».

c) Fides est assensus firmus, qui testimonio praestatur ob auctoritatem testantis.

d) De auctoritate testium non licet rationabiliter dubitare, cum certa adiuncta verificantur. Sensus huius affirmationis non est *exclusivus*, quasi tunc solum non liceat dubitare, cum illa adiuncta verificentur ; sed est *asseverativus*, nempe cum illa adiuncta verificentur, dubitare rationabiliter non licet.

Itaque adiuncta, alia respiciunt factum ipsum, quod narratur, alia personas testium.

a) Quoad factum, si hoc est publicum, illustre, ita ut excitet curiositatem adstantium, non licet rationabiliter dubitare de

scientia testium ; supponendum enim esset, vel testes non posuisse debitam attentionem, quod supponi nequit, cum factum sit sensibile, pubblicum et illustre ; vel testes omnes habuisse sensus infirmos, quod neque supponi potest, cum defectus naturae, utpote accidentales, non sint communes.

b) Quoad personas testium, si huiusmodi sunt plures et diversi quoad aetatem, indolem, educationem et conditionem socialem, rationabiliter dubitari nequit de eorum veracitate ; supponendum enim esset omnes consensisse in mendacio dicendo, quod supponi nequit, positis adiunctis dictis. Et hoc eo vel magis valet, si ex mendacio non solum nullum emolumentum capitur, sed in perniciem dicentium cedit.

3) In altera parte thesis fit sermo de iudiciis sensus communis, in quibus dicimus falsitatem esse non posse.

Sensus communis, prout hic sumitur, est modus uniformis et constans iudicandi de quibusdam rebus. *Subiective* est eadem facultas intellectiva, in quantum ea, quae sunt obvia et ad vitam sive physicam sive moralem necessaria, immediate intelligit, vel facili discursu deducit. *Obiective* sunt ipsae res quae enuntiantur, v. g. « *Existit mundus* » ; « *Anima est immortalis* » ; « *Existit Deus* ».

4) Ut aliquod iudicium sit revera sensus communis, his characteribus insigniri debet :

a) Sit de rebus obviis, et ad vitam, sive physicam sive moralem, rite instituendam necessaria.

b) Sit universale, moraliter saltem, constans et uniforme quoad essentialia saltem.

c) Non contradicat principiis rationalibus, neque assignari possit ratio, quae eius veritatem infirmet, ut esset, v. g. ignorantia, superstitio, fraus.

5) Thesi adversantur :

a) Qui faciunt subiectum vel rationem individualem mensuram omnis veritatis, ut generatim subiectivistae et rationalistae.

b) Qui intelligunt historiam longe aliter ac nos, ut sunt idealistae absoluti, vel pantheistae ideales, quibus historia non est factum, sed quod fit evolutione continua et necessaria *Absoluti* vel *Ideae*.

c) Qui verum tenent solum quod ipsi per propriam experientiam percipiunt, quibus adnumerandi sunt Pragmatistae, qui, auctore W. James, omnem communem sensum respuunt.

d) Qui, auctore Th. Reid, sensum communem intelligunt caecum naturae instinctum.

6) Thesis habet duas partes :

1ª De testimonio historico.
2ª De iudiciis sensus communis.

I. P. Prob. *(Ex eo quod in datis adiunctis constat de scientia et veracitate testium).*

Testimonium historicum veram gignit certitudinem, cum constat de scientia et veracitate testium.

Atqui in quibusdam adiunctis constat.

Ergo in quibusdam adiunctis testimonium historicum veram gignit certitudinem.

Maj. Per se intelligitur.

Min. a) Cum testes sunt plures et factum sensibile publicum et illustre, rationabiliter dubitari nequit de scientia testium ; deberemus enim supponere vel eos non adhibuisse attentionem, vel eorum sensus fuisse infirmos.

Atqui neutrum supponi potest : non 1um, quia factum est illustre, sensibile, pubblicum, ideoque tale ut attentionem excitet ; non 2um, quia defectus naturae, cum sint *per accidens*, non sunt communes.

b) Cum testes sunt plures, diversae aetatis, aeducationis, indolis, positionis socialis, rationabiliter dubitari nequit de eorum veracitate ; deberemus enim supponere eos omnes convenisse in mendacio dicendo, quod supponendum non est in praefatis adiunctis.

II. P. Prob. *(Ex eo quod natura nequit esse fallax).*

Iudicia, quae ab ipsa natura dictantur, sunt certo vera.

Atqui iudicia sensus communis ab ipsa natura dictantur.

Ergo iudicia sensus communis sunt certo vera.

Maj. Si quod a natura dictatur posset esse falsum, mens humana natura sua tenderet in falsum, ideoque instaurandum esset dubium universale reale positivum, seu verus esset scepticismus universalis, quia in omnibus assensus esset cohibendus.

Min. Quod apud omnes ubique et semper tenetur, a natura ipsa dictatur.

Atqui sunt iudicia, quae apud omnes ubique et semper tenentur.

Ergo sunt iudicia, quae ab ipsa natura dictantur.

Maj. Factum constans, universale, uniforme causam petit constantem, universalem, uniformem, quae in casu nostro alia esse nequit, nisi ipsa natura humana.

Min. Dari v. g. discrimen essentiale inter honestum et inhonestum ; existere mundum extra nos ; existere Numen

aliquod supremum; et alia non pauca apud omnes ubique et semper tenentur.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am **P.**

1ª Collectio, cuius partes singulae sunt fallibiles, est fallibilis.

D. Ita tamen ut constare possit fallibilitatem collectionis non esse reductam ad actum C. non possit N.

2ª Quod convenit partibus convenit toti.

D. Si de perfectione agitur Tr. si de defectu Sbd. si convenit partibus simul sumptis C. si separatim sumptis, iter. D. si collectio nihil confert ad tollendum defectum C. si confert N.

3ª Fallibilitas est singulis naturalis.

D. In actu primo C. secundo N.

4ª Collectio probabilitatum non gignit certitudinem.

D. Si collectio motivum novum addit, quod parit certitudinem N. si non addit C.

5ª Auctoritas nititur scientia et veracitate testium; scientia autem et veracitas auctoritate nituntur.

D. Credimus, quia testes dicunt se verum dicere N. quia ex consideratis adiunctis constat eos scire quod dicunt et dicere quod sciunt C.

6ª Auctoritas non est demonstratio.

D. Non facit rem intrinsece evidentem C. non facit rem extrinsece evidentem seu credibilem N.

7ª Auctoritas volventibus annis minuitur.

D. Si constat seriem testium fide dignorum non esse interruptam N. si non constat Tr.

8ª Constat facta processu temporis deformari.

D. Facta parvi momenti Tr. illustria Sbd. quoad essentialia N. accidentalia Tr.

9ª Miracula non evenire est physice certum; miraculum aliquod evenisse est moraliter certum.

Atqui certitudo physica potior est quam moralis.

Ergo saltem cum agitur de miraculis, auctoritas non veram gignit certitudinem (Hume).

D. M. Miracula *non frequenter* evenire est physice certum C. *non posse* evenire N.

D. m. Absolute Tr. in concreto, nempe quoad aliquod factum particulare Sbd. si constat de scientia et veracitate testium N. si non constat C. – N. c.

10ª Testes errare et mentiri non est miraculum, ideoque

potius tenendum est eos errare vel mentiri, quam miraculum evenisse (idem).

D. Testes singillatim sumpti Tr. collective sumpti Sbd. non est miraculum ordinis physici. Tr. moralis N.

Contra 2am **P.**

1ª Nullum datur iudicium, quod sit vere universale et uniforme.

D. Accepta universalitate mathematice, et uniformitate quoad omnia, etiam quoad minuta particularia Tr. accepta universalitate moraliter, et uniformitate quoad essentialia vel generalia N.

2ª Multa communiter tenebantur, quae deinde probata sunt falsa.

D. In rebus scientificis vel abstrusioribus Tr. in rebus moralibus Sbd. quia non aderant ceteri characteres assignati C. aderant. N.

3ª Voluntas tendere potest in malum; ideoque etiam intellectus in falsum.

D. In malum, qua malum N. qua apparens bonum C.

4ª Rudes multa tenent, quae communiter tenentur.

Atqui non ex discursu.

Ergo ex caeco instinctu.

D. M. Inducti auctoritate, educatione vel etiam ratione, quam exponere nesciunt modo, quo eruditi faciunt C. nullo motivo obiectivo inducti N.

Cdm. – N. c.

5ª Interrogati nesciunt rationem reddere.

D. Quia nullam habent N. quia vel non apte interrogantur, vel, cum difficile sit eis in proprios actus reflectere, motivum explicite invenire nesciunt et exprimere verbis aptis C.

6ª Si iudicia, quae dicuntur sensus communis, sunt ex intellectu et ratione, non videtur cur speciali ratione dicantur sensus communis.

R. Ratio est: *a)* eorum specialis necessitas; sunt enim ad vitam humanam, sive physicam sive moralem, rite instituendam necessaria; *b)* specialis tendentia et facilitas in eis pronuntiandis.

Schol. I. *De testimonio mediato et traditione.*

1) Testes mediati sunt, ut diximus, qui ea quae narrant ab aliis acceperunt. Estne eorum testimonium fide dignum?

R. affirmative, si constat, et ipsos esse fide dignos, et factum a testibus fide dignis accepisse. Ut utrumque constet, criterium in thesi traditum applicari potest, proportione facta,

2) Traditio est oralis transmissio alicuius facti.

Non est cur de eius valore rationabiliter dubitetur, si his insigniatur characteribus:

a) Sit illustris, et quoad factum, quod ore transmittitur, et quoad personas, a quibus transmissio fit.

b) Sit ampla, nempe vigeat, non uno vel altero loco, sed pluribus.

c) Sit constans, scil. non adsit notabilis interruptio in transmissione facienda.

d) Sit uniformis, quoad essentialia saltem.

Hic quoque notandum est, sensum non esse exclusivum, sed asseverativum tantum, nempe, cum adsint praefatae conditiones, de valore traditionis non licet rationabiliter dubitare.

Schol. II. *De testimonio scripto.*

1) Ut constet de eius valore, sequendae sunt normae quae ab arte critica et hermeneutica traduntur, de quibus pauca attingemus.

2) Ars critica est disciplina tradens normas recte iudicandi de factis historicis generatim, maxime de authenticitate et integritate librorum, quibus historia continetur.

Duplici munere completur: primum est inventio fontium, alterum crisis auctoritatis.

a) Inventio fontium, vel heuristica, est accurata et diligens inquisitio rerum, quibus facta cognosci possint, quaeque ad tres reduci possunt classes: documenta, traditio, monumenta. De traditione iam aliquid diximus; dicemus tantum de documentis et monumentis.

Documenta seu scripta, ut faciant fidem, constare debet de eorum authenticitate, integritate, auctoritate.

De authenticitate constat, cum documentum est revera auctoris, cui tribuitur.

De integritate constat, cum documentum ad nos pervenit non mutilum, neque interpolatum.

De auctoritate constat, cum de scientia et veracitate auctoris, ad quem documentum pertinet, dubitari nequit.

b) Ad crisim auctoritatis quod spectat, canones assignantur, quorum alii ad internam, alii ad externam crisim faciunt.

Prioris classis sunt:

I. Si omnes partes documenti vel scripti apte inter se cohaereant, et sententiae exacte respondeant testimoniis inde desumptis et citatis ab auctoribus coaevis et fide dignis, rationabiliter retinetur documentum vel librum esse authenticum.

II. Si ea, quae documento vel libro continentur, conveniunt

cum eis, quae aliis libris vel documentis continentur, quae certo scitur ad eundem auctorem pertineri, rationabiliter existimatur documentum vel librum in quaestione esse authenticum.

III. De authenticitate rationabiliter dubitatur :

α) Cum documentum vel liber aliquid contineat, quod non est temporis, quo auctore, cui tribuitur, vixit, et *a fortiori* si est temporis posterioris.

β) Si stilus vel doctrina documenti vel libri valde dissonant a stilo et doctrina ceterorum documentorum vel librorum, quae certo constat esse eiusdem auctoris, et *a fortiori* si doctrina a moribus auctoris abhorret.

IV. Ratio dubitandi de authenticitate alicuius scripti est, saltem iuxta aliquos, si in eo aliquid reticetur, de quo certo auctor dixisset.

Ad crisim externam sequentes faciunt canones :

I. Genuina et integra rationabiliter retinentur documentum vel liber, quae constans traditio, etiam sapientum, talia retinet.

II. Genuina et integra pariter retinenda sunt documenta vel libri, quorum autographum nomen auctoris ab ipso subsignatum habet.

III. Si nullum adstat autographum, et documentum vel liber pluribus adscribitur, ceteris paribus, standum est testimonio vetustiorum.

IV. Si in recentioribus codicibus aliquid desideratur, quod est in antiquioribus, vel aliquid continet, quod in antiquioribus desideratur, de genuitate et integritate documenti vel libri rationabiliter dubitatur.

V. Plurimum iuvat diversos codices conferre, maxime vetustiores et in variis locis existentes.

3) Authenticitate et integritate libri vel documenti probata, non illico constat de eorum auctoritate; constare insuper debet de scientia et veracitate auctoris. Utrumque, ut constet, sequentes traduntur normae :

I. Res quae narratur nihil contineat, quod repugnet certis Fidei vel rationis principiis ; neque factis contradicat aliunde notis.

II. Auctor sit illis dotibus insignitus, quae eum fide dignum faciant, quae sunt, inter alias, impartialitas, diligentia, prudentia, gravitas. De eius scientia et veracitate prudenter dubitaretur, si constaret, eum rem narrare leviter et perfunctorie, vel exaggerationibus et novitatibus, potius quam ve-

ritate delectari, vel tandem si aliunde nota esset eius mala fides, impietas et morum degradatio.

4) Ad monumenta quod attinet, haec sunt tenenda:

a) Monumentum dicitur quodvis opus durabile artis ad memoriam facti alicuius posteris transmittendam constructum. Huiusmodi sunt v. g.: Statuae, arcus, templa, inscriptiones, numismata, et similia.

b) Ut fidem faciant, debent esse:

Authentica, contemporanea factis quae commemorant, non contraria historiae certae vel traditioni.

c) Ad valorem monumentorum rite cognoscendum peritia non levis requiritur historiae, archaeologiae, cronologiae, numismaticae, palaeographiae.

5) Dicamus verbulum de arte hermeneutica.

Hermeneutica est ars, quae tradit normas recte libros interpretandi.

Est pars artis criticae vel certe eius complementum.

Duplici modo fieri potest interpretatio: vel librum transferendo ex uno idiomate in aliud, vel sententias obscuras ambiguasque explicando.

Ad 1um duae faciunt normae, quarum una est, ut qui versionem facit utrumque idioma bene polleat, ut sensum auctoris fideliter reddere possit; altera est, ut potius sensum de sensu, quam verbum de verbo reddere conetur.

Ad 2um sequentes faciunt normae:

a) Libri transferendi exemplar procuretur emendatius.

b) Diligenter attendatur utrum auctor aliquo loco proprie vel metaphorice loquatur.

c) Bene perpendantur tempus, quo auctor scripserit, finis ab eo intentus, eius mores aliaeque circumstantiae, quae iuvent ad eius mentem rite intelligendam.

d) Praeter textum consideretur etiam contextus, nempe conferatur sententia vel locum, de cuius sensu dubitatur, cum eis quae praecedunt, vel sequuntur, vel cum doctrina auctoris alibi claris verbis tradita.

e) Plurimum in hoc opere rite conficiendo iuvabit aliorum commentaria vel interpretationes compulsare, sed in primis debet quis praeiudicia vel praeconceptas opiniones deponere, necnon pravis affectionibus se nudare.

Schol. III. *De testimonio doctrinali.*

1) Testimonium doctrinale est, cuius obiectum est aliqua doctrina. *Generatim* nonnisi opinionem gignit, magis vel minus

probabilis, pro gravitate rationum quae afferuntur, quaeque non *numerantur* sed *ponderantur*, ut adagium canit.

2) Dixi *generatim*, quia non desunt casus, v. g. in rebus scientificis, in quibus testimonium doctrinale gignit veram certitudinem. Exemplum habes in praedictione eclipseos.

3) In rebus moralibus sententia doctorum, quamvis solummodo probabilis, bene assumitur, etiam ab hominibus exceltis, ut norma honeste agendi ; res enim agibiles tales sunt, ut in eis vera et stricte sumpta certitudo difficillime haberi possit, ideoque, si haec requireretur ad recte agendum, semper, vel fere, ab agendo quis abstinere deberet.

SECTIO II.

De Criterio et Methodo

CAP. I.

De falsis criteriis subiectivis.

§ 1. — *De empirismo et cartesianismo.*

THESIS XII.

Experientia, clara perceptio, caecus naturae instinctus nequeunt esse criterium universale veritatis, neque motivum ultimum certitudinis.

St. Q. 1) Ex tractatis in superiori Sectione resultat, nos facultatibus nostris *posse* cognitiones veras et certas nobis comparare; cum tamen constet ex altera parte facultates nostras *posse* in errorem incidere, ulterius inquirendum est, utrum praesto sit medium seu norma, qua innixi possimus infallibiliter discernere verum a falso.

Hanc quaestionem solvere praesentis Sectionis est.

2) Cum, ut assolet in quaestionibus gravioris momenti, variae extent sententiae de suprema norma veritatis, ab iis excludendis incipiemus, quae nobis videntur falsae, et in primis de criteriis subiectivis agemus.

Hic tamen notatum volumus, nos adversariorum criteria refutare in quantum habentur a fautoribus uti universalia et suprema; uti particularia enim, sin minus omnia, pluraque saltem, admitti possunt.

3) Est itaque criterium veritatis norma discernendi verum a falso. Est:

a) Universale et *particulare*, prout in omnibus casibus valet, vel in aliquibus tantum.

b) Internum et *externum*, prout ipsam rem, de qua agitur, intrinsece afficit, vel aliunde assumitur.

c) Supremum vel proximum, prout a nullo alio valorem repetit, vel ab alio pendet.

Criterium, in quantum movet mentem ad assensum, dicitur *motivum*, et fere easdem divisiones admittit ac criterium.

4) In praesenti quaestione agitur de criterio universali veritatis et de motivo ultimo certitudinis, quod dicimus esse non posse neque experientiam, neque claram perceptionem, neque caecum naturae instinctum.

a) Primam sententiam tenent Empiristae, qui cognitio-

nem humanam intra fines experientiae concludentes, *verum* tenent, quod experientiae obiicitur, *falsum* autem quod huius fines praetergreditur.

Ex Empirismo derivati sunt Positivismus et Agnosticismus, quorum primus, iuxta aliquos saltem, negat praeter phaenomenum seu res prout apparent, dari quidquam reale; alter autem concedit praeter phaenomenum dari aliquid, attamen extra ambitum scientiae ponendum esse contendit. Ita communiter Locke, Condillac, Stuart Mill, Comte, Spencer etc.

Empirismo affinis est Pragmatismus, qui, auctore W. James, rationem formalem veritatis in actione vel progressu reponens, *verum* tenet quod huic favet, *falsum* autem quod eundem impedit. Pragmatismo addicti sunt Bergson, Le Roy et alii bene multi, inter quos etiam Papini, ante suam conversionem.

Huic primae adversariorum classi reduci possunt, qui cum animadverterent in ordine logico nihil valorem habere, nisi de eo subiectum cogitans conscium sit, statuerunt conscientiam tandem aliquando esse normam universalem veritatis. Ita Galluppi, de cuius vera sententia tamen dubitatur, et aliqui ex kantianis.

b) Altera sententia, quam in thesi refutamus, tenetur a Cartesio, qui in celeberrima illa revisione quam de suis certitudinibus instituit, cum notaverit se de sola sua existentia non posse ullo modo dubitare, quia in ipso dubio *clare percipiebat* se esse, putavit se posse in ceteris omnibus *claram rei perceptionem* pro norma certitudinis vere obiectivae tenere.

c) Tertia sententia auctorem habet Th. Reid, qui, uti Scepticismo a D. Hume renovato sese opponeret, docuit nos primas veritates admittere ex naturae instinctu, quin videamus ullum motivum vere obiectivum eas admittendi; ex his autem ceteras deducere et scientiam conficere.

Huic sententiae affinis est Sentimentalismus qui, auctore Fr. Iacobi, tenet verum esse quod sentitur, seu de quo gustus quidam habetur, vi cuius veritates, praesertim morales et religiosae, effinguntur. Ab hoc gustu non valde differt fides affectuosa, vel *sensus divini* quorundam modernorum, qui tenent subiectum cogitans veritates, quae ad religionem pertinent, non ob motivum vere obiectivum amplectere, sed ex interna indigentia efformare et credere.

Huc tandem revocandus est Determinismus psychologicus, quem dicunt, qui tenet nos interna necessitate, cuius rationem reddere nescimus, adigi ad veritates primas cuiusque ordinis efformandas, et ex his ceteras deducere. Inter huius sententiae fautores recensendi sunt kantiani, sed de sententia Kant inferius in apposita thesi dicemus.

5) Thesis tribus constat partibus.
1ª De Empirismo.
2ª De clara perceptione.
3ª De caeco instinctu.

I. P. Prob. *(Ex eo quod experientia, sive externa sive interna, non in omnibus casibus valet).*

Norma, quae non in omnibus casibus valet, nequit esse suprema et universalis.

Atqui experientia, sive externa sive interna, est norma, quae non in omnibus casibus valet.

Ergo nequit esse suprema et universalis.

Maj. est notio.

Min. 1ª p. *a)* Praeter iudicia synthentica, in quibus nexus affirmatur dependenter ab experientia, dantur iudicia analytica, in quibus nexus affirmatur independenter ab experientia.

b) praeter singularia, concreta, materialia, quae ab experientia attinguntur, dantur universalia, abstracta, immaterialia, quae ab experientia attingi nequeunt: uno verbo, praeter sensibilia dantur intelligibilia.

Nota. Hoc argumentum, mutatis mutandis, valet ad excludendas omnes sententias, quae ad experientiam reduci possunt; ut sunt Positivismus, Agnoscitismus, Pragmatismus.

α) Potisivismus et Agnosticismus, ut innuimus, de nulla alia realitate sunt soliciti praeter eam, quae experientiae obiicitur, ut sunt phaenomena.

β) Pragmatismus, praeterquamquod restringit normam veritatis ad solas veritates ordinis practici, facit veritatem formalem absolute mutabilem, et confundit quod est formale veritatis cum eo quod est eius consectarium vel confirmatio quaedam; ac si quis diceret bonam digestionem facere bonum stomachum, non bonum stomachum facere bonam digestionem.

Min. 2ª p.

Conscientia aut intelligitur directa, aut reflexa.

Atqui in neutro casu dici potest norma suprema et universalis veritatis.

Ergo conscientia non est norma suprema et universalis veritatis.

Min. α) Conscientia directa, sicut cognitio directa, supponit praesentiam seu claritatem obiecti.

β) Conscientia reflexa nonnisi de factis internis, concretis, praesentibus referre potest, praeter quae alia permulta dantur.

γ) Sententia haec confundit conditionem sine qua cetera motiva nequeunt exercere suum influxum, cum ipsa motivatione motivi; ac si quis diceret: *Lux facit videre, ergo videt.*

II. P. Prob.

Clara perceptio aut supponit claritatem obiecti, aut non.

Si 1um, non est norma suprema et universalis veritatis.

Si 2um, est quid mere subiectivum et a priori ideoque:

a) Excludendae sunt veritates experimentales, et quae auctoritate accipiuntur, huiusmodi enim sunt *a posteriori*.

b) Veritas non est formaliter immutabilis: quod enim aliquis clare percipit, alius fortasse non percipit, imo percipit oppositum.

c) Via aperitur rationalismo et idealismo, quorum primus reiicit omnes veritates quae a ratione clare non percipiuntur; alter autem facit activitatem cogitantem rationem sufficientem totius τοῦ *Esse*. Hos errores habere initium ex revisione cartesiana communiter admittitur.

III. P. Prob.

a) (Ex testimonio conscientiae).

Conscientia testatur, nos non indiscriminatim sententias admittere, sed aliquas admittere, quia *videmus* esse admittendas; alias reiicere, quia *videmus* esse reiiciendas.

Atqui *videre* non est ex caeco instinctu agere.

Ergo caecus instinctus falso supponitur uti norma veritatis suprema et universalis.

b) (Ex eo quod non salvatur valor scientiae).

Quae sine ratione admittuntur, vel de quibus ratio reddi nequit, nequeunt esse ratio cur cetera admittantur.

Atqui primae veritates, iuxta doctrinam de caeco instinctu, admittuntur sine ratione, vel de eis ratio reddi nequit.

Ergo primae veritates non possunt esse ratio cur cetera admittantur, ideoque totius scientiae valor perit.

c) Huiusmodi doctrina reincidit in subiectivismum; facit enim tendentiam instinctivam subiecti rationem sufficientem veritatis admittendae.

Nota. Sentimentalismus et Determinismus pari ratione refelluntur, in utroque enim norma veritatis, ideoque et ipsa veritas, est quid mere subiectivum et mutabile.

Solvuntur difficultates.

Contra 1am P. et 2am

1ª Omnis cognitio nostra a sensibus incipit.

R. *a)* D. Attamen altius sese attollit C. non sese attollit N.

b) D. quoad originem idearum C. quoad nexum idearum N.

2ª Homo, utpote materia concretus, non potest supra res materiales sese attollere.

R. *a)* D. Potest tamen in ipsis rebus materialibus aliquid attingere intellectu, quod sensu non attingit C. non potest N.

b) D. Attamen applicatione principii alicuius analytici ex rebus experientia cognitis potest alia cognoscere C. non potest N.

3ª Homo non valet attingere rerum suprasensibilium quidditatem.

R. *a)* D. Attamen potest earum existentiam certo cognoscere C. non potest N.

b) D. Non potest rerum suprasensibilium quidditatem perfecte cognoscere et conceptu proprio ex propriis Tr. non potest imperfecte cognoscere et conceptu proprio ex analogis N.

4ª Conceptus analogus exprimit potius quid res non sit, quam quid sit.

D. Attamen praedicata quae eo exprimuntur revera conveniunt rei, et hanc a ceteris clare distinguere possunt C. praedicata quae eo exprimuntur non conveniunt rei, et hanc a ceteris clare distinguere non possunt N.

5ª Res suprasensibiles nequeunt facultates nostras determinare.

D. Sensum C. intellectum Sbd. per speciem propriam ex propriis Tr. per speciem propriam ex analogis N.

6ª Cum res bene succedit, solemus dicere ita *revera* esse (Pragmatistae).

D. Semper N. aliquando Sbd. et facimus quasi successus sit ratio formalis veritatis N. significamus confirmationem veritatis C.

7ª Conscientia est, a qua cetera criteria valorem mutuantur.

D. Tamquam a causa N. a conditione C.

8ª Nihil movet ad assensum nisi clare percipiatur.

D. Quae tamen perceptio clara supponit praesentiam vel claritatem obiecti C. non supponit N.

Declar. Ut quis clare videat debet oculos aperire; attamen nisi obiectum sit praesens et clara illuminatum, clara visio non habetur.

Contra 3am **P.**

1ª Experimur irresistibilem vim ad veritates primas admittendas.

D. Quae tamen ob obiecti praesentiam prorumpit in actum C. caece N.

2ª Certi esse non possumus de ulla re, nisi supponatur aptitudo mentis ad cognoscendum.

D. Nisi supponatur sine ulla ratione N. sine demonstratione C.

3ª Rudes multa tenent firmiter, quin de eis sciant rationem reddere.

D. Quia non habent N. quia difficile est eis in proprios actus redire, et motivum suae certitudinis explicite invenire et exprimere verbis aptis C.

4ª Propensionem naturalem habemus ad toti speciei tribuenda, quae invenimus inesse uni individuo.

D. Cum ex repetitis observationibus invenimus ea esse propria naturae illius individui C. secus N.

5ª Cum aliqua sententia interna animi commotione nos afficit, statim dicimus : *Ita revera est.*

D. Commotio illa est signum veritatis Tr. est constitutivum veritatis N.

6ª Animi dispositio valde influit in admittendas aliquas sententias, alias reiiciendas.

D. Influit uti ratio formalis veritatis N. uti conditio subiectiva, quae efficit ut libentius amplectantur sententiae, quas intellectus cognovit esse veras C.

§ 2 — *De solutione kantiana.*

THESIS XIII.

Theoria de synthesi a priori a Kant excogitata ad valorem scientiae in tuto ponendum reiicitur, utpote quae nullo probabili fundamento nititur.

St. Q. 1) Cum D. Hume, valorem principii causalitatis negans, cognitionem scientificam ab imis fundamentis minatus esset, Kant, tunc primum a *somno dogmatico*, ut ipse aiebat, expergefactus, ut ruinam scientiae impediret, de ipsis scientiae fundamentis inquisitionem instituit, ut solidiora, si posset, ea construere.

2) Animadvertit imprimis iudicia alia esse analytica, alia syntheticat.

a) Analytica sunt, in quibus notio praedicati est explicativa notionis subiecti, ideoque nihil revera addit supra subiecti notionem ; sunt, aliis verbis, necessaria quidem et universalia, sed esplicativa tantum, non extensiva.

b) Synthetica e contra sunt iudicia, in quibus notio praedicati non est explicativa notionis subiecti, sed est praeter notionem subiecti, ideoque aliquid addit supra huiusmodi notionem ; sunt, aliis verbis, extensiva, sed non necessaria, neque universalia.

Ex hac simplici animadversione patet, neque iudicia analytica, neque synthetica posse fundamentum scientiae constituere : non prima, quia haec nihil revera faciunt scire; non altera, quia haec non sunt necessaria, neque universalia, qualia a scientia requiruntur, quae est de necessariis et universalibus.

Alia ergo iudicia invenienda sunt, in quibus duplex ille character verificetur : sint nempe extensiva et simul necessaria atque universalia, seu sint *synthetica a priori;* nisi haec dentur, de valore scientiae actum est.

3) Dari revera huiusmodi iudicia, Kant pluribus exemplis ostendit undique collatis:

Est v. g. syntheticum a priori iudicium hoc ex Mathesi desumptum : « $7 + 5 = 12$ », et hoc ex scientia physica : « *In omni mutatione quantitas materiae constans manet* », et hoc tertium ex metaphysica: « *Quidquid contigenter existit, causam habet* ».

Cum haec iudicia sint necessaria et universalia, per experientiam explicari nequeunt; experientia enim est de contingentibus et singularibus: *a priori* ergo explicari debent per formas cogitandi menti inditas, quae acceptam materiam informem ex experientia per illas formas veluti elaborat, eique esse confert.

4) Ad definiendum quot qualesque sint huiusmodi formae, Kant triplicem distinguit spiritus activitatem, intuitionem puram nempe, intellectionem puram, rationem puram.

a) Intuitio pura respicit sensibilitatem tum externam, tum internam, eique duplex assignatur forma a *priori*: Spatium et Tempus. Forma Spatii efficit ut subiectum cogitans sibi repraesentet res corporeas uti extensas, a se et ab invicem distinctas atque distantes. Forma Temporis efficit ut subiectum cogitans sibi repraesentet phoenomena interna uti successiva, seu secundum prius et posterius.

b) Intellectionis purae est de rebus iudicare, eique assignantur duodecim formae *a priori*, quae categoriae vocantur et in quatuor ternarias classes distribui possunt, quae sunt quantitas, qualitas, relatio, modus; iudicium enim secundum quadruplicem hunc aspectum considerari potest.

Ex quantitate tres categoriae oriuntur: unitas, pluralitas, totalitas.

Ex qualitate aliae tres : positio, negatio, limitatio.

Ex relatione tres aliae in binaria membra distributa : Substantia et accidens; causa et effectus; actio et passio.

Ex modo tandem tres aliae oriuntur pariter in binaria

membra distributa : possibilitas et impossibilitas ; esse et non esse ; necessitas et contingentia.

c) Rationis purae est deducere et ad unitatem quandam notiones varias redigere, eique tres assignantur formae, quae *Ideae* vocantur et sunt : Idea mundi, Idea animae, Idea Dei.

Idea mundi, ex qua Cosmologia originem habet. est totalitas phaenomenorum, quae uti extra nos producta apprehendimus.

Idea animae, ex qua Psychologia oritur, est totalitas phaenomenorum, quae intra nos eveniunt.

Idea Dei, ex qua Theodicea ortum habet, in Deum, ut in primam causam, omnia, tum mundi tum animae, ultimatim refundit.

5) Cum tamen activitas subiecti non possit ex se egredi et res *prout sunt in se* seu noumena attingere. res *prout apparent* seu phaenomena solummodo apprehendit ; quid ergo sit *in se* mundus, anima, Deus, ignoramus; attamen cum persuasio de exsistentia Dei, animae libertate et vita futura sint ad vitam honeste agendam necessaria, ratio practica ea admittere debet, sed ut postulata quaedam.

6) Haec in summa est doctrina kantiana, cuius principia etiam nunc communiter vigent apud philosophos, qui philosophiam scholasticam despectui habent ; attamen si quis, ut ipse Kant candide fassus est, demonstraret iudicia synthentica a priori nulla esse, totum aedificium tanta cum diligentia et labore constructum funditus corrueret.

7) His de doctrina kantiana summis labiis attactis, probatur thesis, quae una constat parte.

Prob. *(Ex eo quod essentialia quaedam theoriae kantianae probantur evidenter falsa).*

Theoriae kantianae haec sunt essentialia :

a) Iudicia synthetica a priori.

b) Formae mere subiectivae, quibus adigitur mens ad synthesim iudicialem efformandam, non ex perspicientia nexus, sed a priori, caeco quodam modo.

c) Impossibilitas attingendi *rem in se.*

Atqui haec tria falso ponuntur.

Ergo theoria kantiana, utpote quae falsis fundamentis nititur, falsa dicenda est.

Maj. Ex ipsis operibus Kant deducitur.

Min. 1ª p.

α) Iudicia synthetica *a priori* invecta sunt ex definitione manca, quam Kant dat de iudicio analytico, ex qua excludunt iudicia, in quibus notio praedicati, non *formaliter,* sed *exi-*

gitive est de notione subiecti ; quae definitio si corrigitur, ut corrigenda est, statim videbitur, omnia iudicia a Kant producta ad suam thesim illustrandam, esse vel analytica vel synthetica, utique per applicationem alicuius iudicii analytici ad universalitatem evecta.

β) Sed iudicia synthetica *a priori* nulla esse, ita etiam *a priori* constat:

Dempto praedicato, aut subiectum manet, aut non.

Si 1um, iudicium est syntheticum.

Si 2um, iudicium est analyticum.

Ergo non dantur alia iudicia, praeter synthetica et analytica.

Maj. conceditur, quia non datur medium inter *manere* et *non manere.*

Min. Si subiectum manet, praedicatum neque *formaliter* neque *exigitive* est de ratione subiecti.

Si subiectum non manet, praedicatum aut *formaliter* aut *exigitive* est de ratione subiecti.

Quod autem etiam cum notio praedicati est *exigitive* de notione subiecti iudicium dicendum sit analyticum, est evidens, quia etiam tunc nexus, qui est *forma* iudicii, menti ex analysi terminorum innotescit.

Min. 2ª p.

Formae *a priori* a Kant excogitatae sunt ad explicandam necessitatem et universalitem iudiciorum, quae ipse vocat *synthetica a priori,* ita fere ratiocinando :

Necessitas et universalitas horum iudiciorum aut sola experientia explicatur, aut sola ratione.

Atqui non sola experientia.

Ergo sola ratione.

R. Nego Maiorem; addo 3um: aut ratione, fundamento accepto ab experientia: mens enim vi abstractiva, qua gaudet, in rebus sensibilibus quidditatem intelligit, omissis ceteris ; quae quidem quidditas, cum notis quibus constituitur, necessaria est et universalis. Haec vis abstractiva, et non formae kantianae, est innata et a priori, sicut ex reflexione psychologica omnes conscimus.

Min. 3ª p.

α) Kant eiusque asseclae manifestam aequivocationem faciunt quoad *rem in se.* Hoc enim « *in se* » duplici sensu intelligi potest; vel quatenus significat obiectum ita extra cognitionem positum ut nullam habeat relationem cum subiecto; vel obie-

ctum, quod habeat *esse* independenter a subiecto, et *esse cognitum* dependenter a subiecto.

Primo sensu accepto « *in se* », verum est quod adversarii dicunt, scil. cognoscere rem in se idem esse ac cognoscere rem non cognitam, seu cognoscere et non cognoscere, quod repugnat.

Secundo sensu accepto « *in se* », nulla, ut patet, habetur contradictio.

β) Distinctio kantiana inter rem prout apparet, seu phaenomenum, et rem prout est in se seu noumenon, non valet quoad facta interna concreta subiecti et subiectum ipsum ; in his enim *apparere* est *esse*, cum apprehensio eorum sit intuitiva et immediata.

γ) Sed neque quoad res praeter subiectum existentes illa distinctio valet ; etiamsi enim daretur perceptionem obiecti extra subiectum positi non esse intuitivam et immediatam, ut aliqui volunt, vi tamen principii causalitatis et rationis sufficientis, quorum valor realis ex obiectiva realitate notionis entis immediate eruitur, subiectum ad rem in se, seu extra subiectum positam, perveniret ; conscit enim se non esse causam adaequatam sufficientem suarum perceptionum sensibilium.

Solvuntur difficultates.

1ª Non possumus esse certi de ulla re, nisi prius certi simus de aptitudine mentis ad cognoscendum.

D. Non possumus esse certi certitudine spontanea N. scientifica Sbd. et haec possibilis est ante omnem actum cognitionis N. in ipso actu cognitionis C.

Declar. Hic est error fundamentalis apud Kant et idealistas post ipsum : nos nempe posse *directe* cognoscere naturam mentis nostrae, cum oppositum constet ex facto: nos nempe prius *cognoscere*, deinde *cognoscere nos cognoscere* et *nostrum cognoscere*.

2ª Necessitas et universalitas quorumdam iudiciorum nequit provenire ex experientia.

D. Sola C. ex ratione, fundamento accepto ab experientia N.

Declar. Ratio, cum vi abstractiva naturaliter gaudeat, ut dictum est, in rebus sensibilibus quidditatem intelligit, praecisis notis individuantibus.

3ª Vis abstractiva Scholasticorum videtur parum differre ab applicatione formarum Kant.

D. Quatenus vis abstractiva, sicut formae kantianae, est innata et *a priori*. Tr. sicut formae kantianae *a priori* iudicat absque perspicientia nexus N.

4ª In omni cognitione subiectum cognoscens aliquid sui necessario confert.

D, *Quoad id quod* N. *quoad modum quo* C.

5ª Etiam apud scholasticos necessitas et universalitas a mente confertur.

D. Fundamento accepto a re C. *a priori* secundum quod a Kant intelligitur N.

6ª Etiam Kant admittit elementum materiale in cognitione, quod a re accipitur.

D. Elementum materiale informe et *a re*, quae est ignotum *x*. C. elementum materiale determinatum, et *a re* de qua sciatur quid sit N.

7ª Omnis res a sensibus percipitur prout apparet.

D. Attamen realitas, quam referunt, est revera exstrasubiectiva, saltem fundamentaliter C. non est N.

8ª Si mens alia esset, aliter rem perciperet.

D. Modus percipiendi esset alius Tr. res percepta esset alia N.

9ª Quod est necessarium, est caecum.

D. Si necessitas est mere subiectiva Tr. Si ab obiecto determinatur N.

10ª Intellectus agens Scholasticorum non est aliud, nisi forma quaedam *a priori*.

D. Forma quae obiecto dat *esse* N. dat *esse actu intelligibile* C.

§ 3. — *De solutione idealistica.*

THESIS XIV.

Solutio idealistica problematis critici, utpote negans omne criterium veritatis vere obiectivum, est reiicienda.

St. Q. 1) Idealismus, prout hic sumitur, est doctrina philosophica generatim docens, obiectum cognitionis humanae aliud *esse* non habere nisi intentionale, unde celebre affatum: « *Esse est percipi* », vel, iuxta recentiores « *Esse est percipere* ».

Ratio in qua maxime nituntur idealistae hoc docentes, est indoles essentialiter immanens activitatis cogitantis, vi cuius absolute repugnat, ipsi dicunt, cogitationem posse seipsam transcendere et obiectum attingere, quod sit extra seipsam positum; unde qui affirmant cognitionem humanam *rem in se* apprehendere, seu praeter cognitionem existentem, pugnantia in terminis affirmant.

2) Sed cum haec tanta cum securitate asseverant idealistae minime attendunt;

a) se negligere aspectum essentialiter *repraesentativum* humanae cognitionis, vi cuius haec transcendentalem relationem dicit ad *alterum*, seu ad aliquid praeter seipsam.

b) negligere aspectum quodammodo *passivum* eiusdem cognitionis : experimur enim, et idealistae omnibus suis verborum machinamentis nunquam oppositum evincent, activitatem nostram cogitantem non esse causam adaequatam et sufficientem nostrarum perceptionum.

c) se negligere aspectum actuosum ipsius obiecti cogniti : experimur enim obiecta agere in facultates nostras, et sic cum eis communicare, quin ipsae de seipsis exeant.

d) se manifestam aequivocationem facere in illo « *res in se* » quod intelligunt ac si res ita sit extra cognitionem porita, ut nullam cum activitate cogitante communicationem habeat, cum sit intelligendum, rem habere *esse* independenter ab activitate cogitante, a qua habet quidem, non *actu esse*, sed *esse actu cognitum*.

3) Idealismus varias assumpsit formas, sed omnes ad duas reduci possunt, quae sunt Idealismus obiectivus et subiectivus.

a) Obiectivus negat obiectum cognitionis habere existentiam absolutam seu transcendentem, eique solummodo relativam et intentionalem concedit, sed admittit pluralitatem subiecti cogitantis, et distinctionem realem inter conscientiam absolutam, qui est spiritus infinitus, et conscientiam empiricam, qui sunt spiritus finiti. Ita Berkeley.

b) Idealismus subiectivus seu absolutus negat obiecto cognitionis realitatem transcendentem seu *in se*, et negat pluralitatem subiecti cogitantis et distinctionem realem inter το *Ego absolutum* et το *Ego empiricum*, quod considerat ut modalitatem, vel quasi momentum evolutionis, quam το *Absolutum* subit.

Absolutum hoc est pura activitas cogitans, considerata nempe in se seu antecedenter ad omnem actualem vel empiricam cogitationem et diversimode a fautoribus suis nominatur:

Fichte vocat ipsum το *Ego purum*, et eius evolutionem tribus momentis concludit, quae sunt : Thesis, Antithesis, Synthesis.

In thesi *Absolutum* ponit seipsum ; in antithesi opponit sibi το *non-Ego* : in synthesi identificat sibi το *Ego* et το *non-Ego*.

Schelling *Absolutum* vocat *Indifferentiam differentium*, seu id in quo omnia identificantur, non solum diversa sed etiam opposita. Haec realitas primigenia evolvitur modo parallelo in subiectum et obiectum, in spiritum et materiam. Omnia ergo sunt essentialiter idem ; sola differentia est in eo quod ali-

quid partecipet magis vel minus de elemento subiectivo vel obiectivo.

Hegel *absolutum* vocat *Ideam*, et evolutionis eius momenta thesim, antithesim et synthesim.

In priori momento Idea evolvit se intra se et generat logicam ; in altero evolvit se extra se et generat philosophiam naturalem ; in tertio redit in se et generat philosophiam spiritus. Conditio huius evolutionis est contradictio seu synthesis τοῦ *Esse* et τοῦ *non-Esse*, quod est τὸ *Fieri*, quae est sola realitas.

4) Cum idealismo absoluto vel pantheismo ideali connecti potest pantheismus voluntaristicus vel pessimismus Schopenhauer et Hartmann: sicut enim idealistis « *Esse est percipere* » ita pessimistis « *Esse est Velle* » – Schopenhauer igitur admittit *Velle* quoddam absolutum uti realitatem primordialem, quae caeca et fatali necessitate evolvitur, et perfectionem maximam attingit in homine, cuius vita est pessima, quia *velle* generat tristitiam, qua liberari nequit homo nisi desinat *velle*, ideoque et *esse*.

Hartmann, videns intrinsecam repugnantiam in voluntate, quae caeca et fatali necessitate sese evolvat, ei addidit Ideam, utramque fecit characteres cuiusdam realitatis primordialis quam τὸ *Inconscium* vocavit.

5) Inter nostrates sunt Idealismo absoluto addicti B. Croce et J. Gentile. Primo sola realitas est *conceptus purus*, cuius proprietates sunt *universalitas* et *concretudo* ; alter autem ponit uti fundamentum totius philosophiae τὸ *Ego* absolutum, quod sit purus actus, vel potius pura actuatio, quae nempe nunquam sit totaliter facta, sed quae semper faciat et fiat.

Nota. Si quis omnia considerat, quae huc usque de idealismo breviter recensuimus, videt *Absolutum* idealistarum aliquid commune habere cum nostro *Ente ut sic*, de quo in Ontologia fit sermo. Nos, ne incidamus in errores idealistarum, distinguimus inter conceptum obiectivum entis et conceptum subiectivum ipsius ; inter *id quod* concipitur, et *modum quo* concipitur ; inter unitatem realem et logicam ; inter logicam perfectam et imperfectam; inter abstractum et concretum, et, quod potissimum est, distinguimus inter potentiam et actum ideoque inter intelligibile in potentia et intelligibile in actu ; inter intellectum in potentia et intellectum in actu. Idealistae has omnes distinctiones reiiciunt, quia ipsis distinguere mentaliter est realiter dividere vel separare; abstrahere vel praescindere est excludere vel negare.

6) His breviter declaratis, probatur thesis, refutando prae-

cipuum argumentum in quo nititur idealismus, quod est principium immanentiae.

Prob. 1° *(Ex eo quod conclusio idealistica non necessario sequitur ex principio immanentiae).*

Idealistae, ex eo quod activitas cogitans sit essentialiter immanens, concludunt eam non posse attingere rem praeter seipsam positam.

Atqui hoc non necessario sequitur.

Ergo conclusio idealistica non necessario sequitur ex principio immanentiae.

Maj. Est doctrina eorum.

Min. Cognitio humana, sicut est essentialiter immanens, ita est essentialiter repraesentativa, ideoque sicut habet terminum productionis intra seipsam, prout est *actio immanens*, ita habet terminum repraesentationis praeter seipsam, prout est actio repraesentativa.

Quomodo hoc fiat est explicatu difficile, sed ignorantia modi non excludit certitudinem facti.

Scholastici dant aliquam explicationem etiam quoad modum, docentes obiectum per actionem suam producere in subiecto similitudinem sui vicariam, qua informata facultas fit actu cognoscens, non similitudinem ipsam, sed obiectum cuius est similitudo: haec enim non est *id quod*, sed *id quo* subiectum obiectum cognoscit. Haec evidentissime patent ex testimonio conscientiae: conscii enim sumus nos *directe* cognoscere, non similitudinem obiecti, sed obiectum ipsum; *reflexe* autem obiecti similitudinem, seu speciem intentionalem cognoscere.

2° *(Ex eo quod idealistae confusionem faciunt inter conscientiam rei, et conscientiam cognitionis rei).*

Doctrina quae confusione idearum nititur, merito reiicitur.

Atqui idealismus est doctrina, quae confusione idearum nititur.

Ergo merito reiicitur.

Maj. Intelligitur.

Min. Mirantur idealistae, ut ex eorum operibus constat, quomodo possit conscientia phaenomenum seu obiectum attingere, quod sit extra conscientiam, ut realistae ingenui docent.

Atqui non mirarentur, si distinguerent inter conscientiam phaenomeni et conscientiam cognitionis phaenomeni.

Ergo idealistae non distinguunt inter conscientiam phaenomeni et conscientiam cognitionis phaenomeni, ideoque eorum doctrina confusione idearum laborat.

Maj. huius argumenti patet ex idealistarum scriptis. Si

conscientia referret phaenomenum, hoc esset factum mere subiectivum ; conscientiae enim est referre facta, interna, concreta, praesentia subiecti cogitantis. Sed distinguenda est duplex conscientia, directa et reflexa. *Directa* idem est ac cognitio sui conscia, quae in obiectum tendit praeter seipsam positum sicut in terminum repraesentationis. *Reflexa* est cognitio ipsius cognitionis, quae in cognitionem terminat sicut in terminum apprehensum et intrinsecum ipsi subiecto.

His declaratis, intelligitur minor ; dari nempe discrimen inter conscientiam vel cognitionem obiecti et conscientiam huius cognitionis : prior terminat in obiectum, posterior autem in ipsam cognitionem; illa praecedit, haec consequitur: prius enim est cognoscere aliquid, deinde cognoscere meum cognoscere. Sed hic est alius ex fundamentalibus erroribus idealistarum, activitatem cogitantem nempe posse *directe* cognoscere seipsam, cum ex testimonio conscientiae oppositum omnino constet.

Solvuntur difficultates.

1ª Obiectum externum adaequate resolvitur in qualitates sensibiles, quae sunt quid mere subiectivum.

D. *a)* In qualitates sensibiles abstractas N. concretas C.

D. *b)* Sunt quid mere subiectivum primariae N. secundariae Sbd. quoad *modum quo* C. quoad *id quod* iter. D. formaliter inspectae Tr. fundamentaliter N.

2° Substratum quod fingitur qualitatibus sensibilibus, est ignotum *x* indeterminatum, incognoscibile.

D. Penitus incognoscibile N. non adaequate cognoscibile Tr.

Explico. Substratum seu subiectum qualitatum sensibilium est substantia seu *ens per se stans*, ideoque de eo habetur notio distincta, quamvis non adaequata.

3ª Nihil datur a parte rei, quod sit simul continuum et habens partes, quae sint aliud et aliud, prout a realistis finguntur.

D. Habens partes, quae sint actu formaliter, seu actu divisae C. quae sint actu materialiter, nempe designabiles N.

4ª Obiectum quodcumque, eo ipso quod a mente attingitur, non attingitur nisi prout est in mente.

D. Ita tamen, ut prout est in mente inalteratum maneat, ideoque sit *pro mente* sicut est *pro se* C. secus N.

5ª Obiectum existens *in se* seu praeter mentis cognitionem, aut cognosceretur immediate, aut mediate.

Atqui non 1um, quia mens nequit ex se egredi.

Non 2um, quia principium causalitatis non valet nisi intra ordinem phaenomenicum.

Ergo obiectum existens in se, seu praeter mentis cognitionem, nullo modo cognosci potest.

R. C. Maj.

Ad 1um, D. sed potest obiectum mentem ingredi per speciem sui vicariam C. non potest N.

Ad 2um N. quia principium causalitatis, ut suo loco demonstrabitur, valorem habet absolutum.

6a Mens cognoscere nequit nisi ea quae sunt ei similia.

D. Quae sunt ea similia quoad modum cognoscendi C. quoad id quod cognoscitur N.

Explico. Cum obiectum formale mentis sit *ratio entis*, omnia quaecumque hanc rationem participant, possunt a mente cognosci; omnia enim sub hac ratione inspecta sunt intelligibilia, ideoque mente assimilabilia.

7a Constare nequit mentem assimilari obiecto extra subiectum existenti.

D. Si cognitio terminaret in ipsam similitudinem obiecti Tr. si terminat in ipsum obiectum N.

Explico. Similitudo obiecti non est *id quod* primo et directe intelligitur, sed *id quo* mens informata directe cognoscit obiectum.

8a Si cognosceremus res prout sunt *in se*, numquam erraremus.

D. Si semper ea verificarentur, quae requiruntur, tum ex parte subiecti, tum ex parte obiecti ad cognitionem rite habendam C. secus N.

Explico. Adversarii semper aequivocant in illo *in se*. Ad rem nostram quod spectat, satis est ostendere dari *realitatem* praeter subiectum existentem; utrum haec realitas sit in se prout apparet vel secus, est alia quaestio.

CAP. II.

De falsis criteriis obiectivis.

THESIS XV.

Neque divina revelatio, neque consensus generis humani esse possunt norma suprema veritatis et ultimum certitudinis motivum.

St. Q. 1) Hanc thesim ponimus ad integram de supremo criterio theoriam tradendam: Traditionalismus enim iam nunc nullum valorem habet praeter historicum.

2) Itaque plures magni ingenii viri, et certe bona intentione ducti, ut invadenti traditionalismo a revisione cartesiana oborto arginem opponerent, valorem rationis humanae usque adeo extenuarunt, ut docerent eam, non solum non esse supremam et unicam normam veritatis, uti Rationalistae praetendebant, sed nullo modo esse normam veritatis. Eorum doctrina nomine Traditionalismi venit, quia communiter tenebant, veritates primas, a Deo primis parentibus revelatas, per traditionem sequentibus generationibus esse transmissas et ad nos usque pervenisse. His primis veritatibus a Deo acceptis, aliae deinde per discursum deducuntur, et scientia seu cognitio certa rerum comparatur.

3) Traditionalismus sub duplici forma tradi solet, rigida et moderata.

a) Rigida tenet rationem humanam tanta imbecillitate affici, ut per se solam ne propriam quidem existentiam cognoscere valeat, ideoque initium philosophandi non esse dubium, uti Cartesius statuit, sed actum fidei: *Credo, ergo sum.* Et hoc quia homo nullam notionem habere potest sine verbo ; verbum autem non potuit a seipso invenire, quia ad inveniendum verbum iam debuisset cogitare, ideoque verbum possidere ; ergo ab eo accepit primam notionem, a quo accepit primum verbum ; verbum autem accipi nequit nisi per fidem. Ita De Bonald.

b) Forma moderata, quam professi sunt Ventura, Bonnetty, Hubaghs et schola lovaniensis saeculi superioris, tenet, rationem humanam non posse quidem conceptus rerum immaterialium sibi comparare, sed posse eos, per revelationem acceptos, enucleare, defendere, necnon notiones rerum sensibilium acquirere.

c) Felicitas de Lamennais principia Traditionalismi adhuc amplius modificavit et docuit normam supremam et unicam veritatis esse auctoritatem generis humani seu rationem universalem ; quia haec magis quam ratio individualis participat de ratione divina ideoque est absolute infallibilis , et eius auctoritas tanta est, ut nulla alia, neque Ecclesiae auctoritas, sit ea superior.

Traditionalismus, utpote ipsi divinae Revelationi contrarius, ab Ecclesia damnatus est.

4) Thesis habet duas partes :

In 1ª refutatur Traditionalismus.

In 2ª refutatur criterium Rationis universalis.

I. P. Prob. *a) (Ex eo quod supponit plura aliunde cognita).* Quod plura supponit aliunde cognita, nequit esse criterium veritatis supremum et unicum.

Atqui divina Revelatio vel divina auctoritas, ut admittatur, plura supponit aliunde cognita.

Ergo divina Revelatio vel divina auctoritas nequit esse criterium veritatis supremum et unicum.

Maj. Est notio.

Min. Divina Revelatio supponit nos certo scire Deum esse, Eum locutum esse, Eius verbum integrum et incorruptum usque ad nos pervenisse; nos existere et teneri Deo loquenti credere; quae omnia per divinam Revelationem constare nequeunt, nisi in circulum vitiosum incidere velimus.

b) (Ex incohaerentia adversariorum).

Adversarii ad suam doctrinam evincendam ratione utuntur, et quidem circa res ordinis metaphysici; iamvero eorum argumenta aut nihil valent, aut aliquid valent.

Si 1um, ergo eorum doctrina nihil valet, utpote quae argumentis invalidis fulcitur.

Si 2um, eorum doctrina pariter ruit, quia principio falso nititur, nempe rationem humanam nihil valere.

c) Confirmatur ex testimoniis S. Scripturae Traditionalismo aperte contrariis:

α) Sap. c. 13. stultos vocat homines illos, qui ex contemplatione rerum sensibilium ad cognitionem Dei ascendere non valuerunt.

β) In Epist. ad Romanos disertis verbis dicitur Invisibilia ipsius per ea, quae facta sunt, intellecta conspici.

II. P. Prob. *a) (Ex eo quod per aliud criterium iustificari indiget).*

Quod per aliud criterium iustificari indiget, nequit esse norma suprema et unica veritatis.

Atqui consensus generis humani per aliud criterium iustificari indiget.

Ergo consensus generis humani nequit esse norma suprema et unica veritatis.

Maj. Est notio.

Min. Consensus generis humani, ut fidem gignat, supponit nos certo scire sententiam aliquam ab omnibus communiter teneri; et communem sensum esse rationem sufficientem, cur sententia illa rationabiliter teneatur.

Atqui haec per ipsum communem sensum absque circulo vitioso constare nequeunt.

Ergo aliunde constare debent, seu consensus generis humani per aliud criterium iustificari indiget.

b) (Ex eo quod plurima dantur certa, ad quae consensus generis humani non extenditur, neque extendi potest).

Quod non ad omnia, quae certa sunt, sese extendit, non est norma veritatis suprema et unica.

Atqui consensus generis humani non ad omnia, quae certa sunt, sese extendit.

Ergo consensus generis humani non est norma veritatis suprema et unica.

Maj. Est notio.

Min. Sunt plurima certissima, v. g. facta privata, facta interna, existentia propria, de quibus genus humanum nihil dicit.

c) Confirmatur ex eo quod consensus generis humani quandoque, v. g. cum agebatur de re scientifica, inventus est fallax; quod certe non fuisset, si consensus generis humani esset norma veritatis universalis et unica.

Solvuntur difficultates.

1ª Sola auctoritas divina est quae producit certitudinem perfectissimam.

D. Certitudinem fidei C. scientiae N.

2ª Deus est veritas prima, secundum quam de ceteris iudicamus.

D. Prima in ordine cognitionis, ex qua discurrendo ceteras deducimus N. Prima in ordine essendi, ex qua lumen accipimus de ceteris iudicandi C.

3ª Solus intellectus divinus est absolute infallibilis.

D. Potens tamen homini communicare infallibilitatem, quae quamvis limitata, sit tamen ei sufficiens ad veritatem cum certitudine cognoscendam C. non potens N.

4ª Opposita doctrina tandem aliquando facit rationem individualem iudicem supremum et unicum veritatis.

D. Iudicem, qui tamen motivis obiectivis ducitur C. nullo motivo obiectivo ducitur N.

5° Homo, ut cogitet, vocabulis indiget.

D. Vocabulis, quae supponunt notiones saltem natura priores C. non supponunt N.

Decl. Vocabula non sufficere ad cogitandum patet ex facto evidentissimo, quod cum quis linguam ignotam audit, nihil intelligit.

6ª In evolutione vitae humanae *primae* notiones fide acquiruntur.

D. Primae in ordine directo Tr. in ordine reflexo Sbd. primae veritates tenentur tunc propter solam auctoritatem N.

quia aliunde cognoscitur auctoritatem esse in quibusdam adiunctis fontem cognitionis certae C.

Declaratio. Vita intellectiva hominis conscientia et reflexione maxime completur. Non inquirimus in praesenti undenam primas notiones acceperimus, sed *cur* certi simus de aliqua re, seu quodnam sit motivum ultimum certitudinis reflexae seu scientificae seu philosophicae, et hoc dicimus non esse auctoritatem, neque divinam neque humanam, sic nuda sumptas.

7ª Cum aliqui dissentiunt, ad auctoritatem aliorum recurrunt.

D. Hoc faciunt cum res neutri est evidens Tr. cum res alterutri non est evidens Sbd. ut ille, cui res est evidens, convincatur N. ut alter convincatur C.

8ª Pueri natura duce semper ad alios recurrunt.

D. Etiam cum res ipsis constat N. cum non constat C.

Decl. Hic, ut denuo dicam, loquimur de certitudine reflexa, ideoque exemplum puerorum nihil contra evincit, non enim in suas certitudines reflectere sunt capaces, et earum fundamenta invenire.

9ª Stultus quis habetur, si iudicium proprium ceterorum iudicio praefert.

D. Si facit hoc in omnibus Tr. si cum sibi constat ceteros errare, se autem non N.

Decl. Nunquid stultus Galilei dicendus est, quia sententiam suam de motu solis circa terram sententiae ceterorum contrarium tenentium praeferebat? vel Columbus, qui, contradicentibus ceteris, iter circa terram arripuit?

10ª Cum ceteri a nobis dissentiunt, dubitare incipimus.

D. Dubitare incipimus, rem fortasse non esse ita evidentem uti putabamus, ideoque inquisitionem reiteramus, ut evidentiam habeamus C. praecise quia alii contradicunt N.

CAP. III.

De vero criterio.

THESIS XVI.

Criterium universale veritatis et ultimum certitudinis motivum in evidentia obiectiva est reponendum.

St. Q. 1) Hac thesi probatur vera sententia, quae reponit criterium universale veritatis et motivum ultimum certitudinis in evidentia obiectiva.

Evidentia, prout hic sumitur, dici potest intelligibilitas rei menti manifesta, duo ergo importat, nempe: et rem ita esse et aliter esse non posse, et mentem *videre* rem ita esse et

aliter esse non posse; unde sequitur rem evidentem esse necessario veram, quia verum in hoc consistit, quod mens dicat rem esse id quod est, vel non esse quod non est.

2) Evidentia distinguitur:

a) In obiectivam et subiectivam.

Obiectiva consideratur ex parte obiecti, et est ipsa entitas rei menti manifesta vel manifestabilis.

Subiectiva consideratur ex parte subiecti, et est eiusdem rei entitatis clara perceptio.

b) In immediatam et mediatam.

Immediata habetur, cum nexus inter subiectum et praedicatum alicuius propositionis fit menti manifestus solis intellectis terminis, absque ulla proprie dicta demonstratione.

Mediata habetur, cum nexus inter subiectum et praedicatum fit menti manifestus proprie dicta demonstratione.

c) In intrinsecam et extrinsecam.

Intrinseca, quae etiam evidentia veritatis dicitur, habetur cum *ipse nexus* terminorum fit mente manifestus.

Extrinseca, quae etiam evidentia credibilitatis dicitur, habetur cum menti, non nexus terminorum innotescit, sed nexus inter motivum extrinsecum, quae est auctoritas loquentis, et veritatem obiecti.

d) In metaphysicam, physicam et moralem, prout veritas, quam afficit, est ordinis metaphysici, physici vel moralis.

3) Adversantur thesi:

a) Sceptici, qui negant ullum dari criterium veritatis vel motivum certitudinis, quod sit vere obiectivum.

b) Philosophi, qui in alio ac nos reponunt criterium veritatis supremum et motivum ultimum certitudinis, et de quibus satis dictum est in praecedentibus thesibus.

4) Thesis duabus partibus continetur:

1ª Quod est evidens, est necessario verum.

2ª Evidentia est conditio necessaria et sufficiens ut mens firmiter adhaereat.

I. P. Prob. *(Ex notione evidentiae).*

Evidens duo dicit: ex parte rei, eam ita esse et aliter esse non posse; ex parte intellectus, eum clare videre rem ita esse et aliter esse non posse.

Atqui quod est huiusmodi est necessario verum.

Ergo quod est evidens est necessario verum.

Maj. Est notio.

Min. Verum in conformitate consistit intellectus et rei, seu habetur cum res dicitur esse quod est, vel non esse quod non est.

II. P. Prob. *a)* A priori.

(Ex notione evidentiae et indole mentis nostrae).

Mens nostra vero evidenti, et non nisi vero evidenti, necessario adhaeret.

Atqui hoc significamus, cum dicimus evidentiam esse conditionem necessariam et sufficientem, ut mens firmiter adhaereat.

Ergo evidentia est conditio necessaria et sufficiens, ut mens firmiter adhaereat.

Maj. Cum obiectum formale intellectus sit *esse* vel *quod quid est* rei, a sola praesentia huius determinatur, et necessario determinatur. Iam vero quid est *esse* vel *quod quid est rei* nisi ipsa rei veritas? ergo a praesentia veritatis seu a vero manifesto mens solum et necessario determinatur.

Min. Per se intelligitur: evidentia obiectiva et verum manifestum idem realiter dicunt.

b) A posteriori.

α) *(Ex reflexione in nostros assensus certos).*

Ex reflexione in nostros assensus certos constat nos, sicut non assentiri, cum res non est manifesta, ita assentiri statim ac res manifesta fit.

Atqui hoc satis ostendit evidentiam obiectivam esse conditionem necessariam et sufficientem, ut mens firmiter adhaereat.

Ergo evidentia obiectiva est conditio necessaria et sufficiens, ut mens firmiter adhaereat.

Maj. Enuntiat factum internum, de quo omnes consci sumus.

Min. Per se intelligitur; evidentia obiectiva enim concrete idem dicit ac res manifesta.

β) *(Ex eo quod evidentia obiectiva est conditio necessaria et sufficiens, ut cetera criteria valorem habeant).*

Si rationem inquirimus, cur cetera criteria valorem habeant, invenimus eam esse, quia rem ostendunt ita esse et aliter esse non posse, seu faciunt eam evidentem.

Atqui hoc probat evidentiam esse conditionem necessariam et sufficientem, ut mens firmiter adhaereat.

Ergo evidentia est conditio necessaria et sufficiens, ut mens firmiter adhaereat.

Maj. Enunciat factum de quo quisque experientiam habet; v. g. cum plures testes aliquid narrant, non statim admittimus praecise quia ipsi dicunt, sed quia posita eorum auctoritate, constat *rem ita esse et aliter esse non posse.*

Min. Per se intelligitur.

γ) Confirmatur ex communi modo loquendi hominum,

Ultima ratio quam solent adducere homines, cum aliquid pro certo tenent, est *quia est evidens*; et similiter ratio quam afferunt, cum aliquid non pro certo tenent, est *quia non est evidens*. Ergo persuasum habent evidentiam esse conditionem necessariam et sufficientem, ut aliquid pro certo habeatur.

Cor. Cum ergo evidentia obiectiva sit conditio necessaria, seu id sine quo aliquid non habetur pro certe vero ; et simul sufficiens, seu non indigens ab alio iustificari, probatum sufficienter manet, eam esse normam universalem veritatis et motivum ultimum certitudinis.

Solvuntur difficultates.

1ª Cum intellectus pendeat a voluntate, quae libera est, evidentia veritatis non necessario trahit ad assensum.

D. Si penderet quoad specificationem actus C. si quoad exercitium tantum N.

2° Cum intellectus necessario moveatur ab evidentia veritatis, saltem evidentia credibilitatis non est sufficiens ad assensum certum.

D. Non est sufficiens, ut intellectus cum certitudine iudicet falsitatem non esse compossibilem cum illo motivo extrinseco N. non est sufficiens, ut res fiat intrinsece evidens C.

3ª Cartesius sola evidentia innixus in plures incidit errores.

D. Evidentia subiectiva C. obiectiva N.

4ª Rei manifestatio, non res ipsa, movet ad assensum.

D. Rei manifestatio concrete sumpta C. abstracte sumpta N.

Declaratio. Rei manifestatio concrete sumpta est ipsa res manifesta, ideoque res movet, non manifestatio, quae conditio est ut res moveat.

5ª Proposita sententia huc recidit : Veritas est criterium veritatis.

D. Veritas ontologica est criterium veritatis logicae C. ontologicae N.

6ª Evidenia potest esse falsa.

D. Subiectiva Tr. obiectiva N.

Explico. Si agitur de evidentia immediata, repugnat eam, etiam subiective sumptam, posse esse falsam ; ea enim quae sunt immediate evidentia, et necesse est esse ut sunt, et necesse est ea videri ut sunt. Si vero agitur de evidentia mediata, et evidenter constat praemissas esse certo veras, et conclusionem ex eis necessario sequi, neque ea potest esse falsa, etiam subiective inspecta.

7ª Evidentia iustificari indiget.

D. Per criterium ei extrinsecum N. per criterium, quod ipsa est C.

Declaratio. Lux, quae facit obiecta actu sensibilia, ut ipsa sit visibilis, non indiget luce ei extrinseca.

8ª Si revera adesset norma discernendi verum a falso, tot errores in mundo non essent.

D. Si semper haec norma adhiberetur C. secus. N.

9ª Si quod est evidens est verum, verum ab evidentia pendet.

D. Quoad cognitionem C. quoad esse N.

10ª Si verum est quod est evidens, unusquisque dicere potest: Hoc ita est, quia ita mihi videtur.

D. Mihi videtur, h. e. quia video rem ita in se esse et aliter esse non posse C. quia res ita a me cognoscitur N.

CAP. IV.

De initio philosophandi et constructione scientifica

§ 1. — *De initio philosophandi.*

THESIS XVII.

Dubitatio cartesiana, quae dicitur, admitti ne quit uti philosophandi methodus; recte tamen initium philosophandi quis faceret ex abstentione cuiusque affirmationis certae, si de inveniendo motivo suarum certitudinum agitur, non autem de veritate demonstranda.

St. Q. 1) In hac thesi brevis instauratur tractatio de methodo philophandi et de statu initiali mentis, quae philosophari aggreditur.

Methodus generatim est via vel ordo tenendus in disciplina aliqua invenienda vel tradenda.

Dividitur:

a) In methodum inventionis vel demonstrationis, prout de veritate invenienda agitur, vel inventa aliis tradenda.

b) In analyticam et syntheticam, prout analysi magis utitur, vel synthesi.

Analysis est processus, quo fit transitus a particulari ad universale, a composito ad simplex, a determinato ad indeterminatum, a concreto ad abstractum.

Synthesis est processus, quo transitus fit ab universali ad particulare, a simplici ad compositum, ab indeterminato ad determinatum, ab astracto ad concretum.

c) Solet etiam methodus dividi in empiricam et rationalem, prout procedit via inductionis vel deductionis. Sed haec divisio, ut patet, parum differt a praecedenti.

2) Quaenam methodus sit praeferenda in disciplina aliqua invenienda vel tradenda, pendet ab indole ipsius disciplinae, vel quaestionis tractandae. Generatim tamen dici potest perfecta methodus illa, quae utrumque processum, analyticum nempe et syntheticum, harmonice componit, qualem esse methodum scholasticam, nemo, nisi ignorans vel malevolus, infitiabitur. Hanc autem respondere modo cognoscendi menti humanae connaturali, reflectenti patet in cognitionis humanae processum et evolutionem.

3) In praesenti agimus, ut dictum est, de philosophandi initio; quaerimus nempe quinam esse debeat status initialis mentis, quae philosophari aggreditur, utrum dubium vel certitudo.

Variae dantur in hac vere fundamentali quaestione sententiae, quarum praecipuae breviter recensebimus, simul repellendo eas, quae falsae vel minus probabiles videbuntur.

a) Primus in hac recensione nominandus est Cartesius, cuius sententia occasionem praebuit omnibus fere modernis erroribus.

Voluit semel pro semper in sua vita certitudinum suarum revisionem instituere, ut, quas inveniret optime iustificatas et inconcusso fundamento innixas, retineret, ceteras vero respueret.

Ab hac revisione tamen excepit veritates, quae ad ordinem moralem et religiosum pertinent, utpote quae ad vitam honeste instituendam sunt necessariae. His exceptis, visum est ei, se posse rationabiliter dubitare de ceteris omnibus, de iis etiam, quas evidentissimas et inconcussas usque ad illud tempus tenuit, ut sunt v. g. aptitudo mentis ad cognoscendum, existentia proprii corporis, existentia mundi corporei, et huiusmodi. Cur enim mens humana non potuit ita conformari, ut in errorem perpetuo inducatur? vel cur malignus aliquis genius non potest, Deo ita permittente, mentem humanam continuis illusionibus obsidere? Sed unum hoc *clare percipio*, me nempe dubitare; et dubitando cogitare; et cogitando esse. In hoc nulla illusio, nullum dubium capi potest: « *Cogito ergo sum* » est prima veritas obiective certa, et norma discernendi verum a falso in ceteris tenenda est « *clara rei perceptio* ».

Exinde trasitum fecit Cartesius ad Dei existentiam demonstrandam, ita fere ratiocinando. Habeo ideam claram Entis infiniti; sed haec idea a me vel ab alio ente finito esse non potest; ergo ab ipso Ente infinito indita est, ideoque existit Ens infinitum, qui Deus est. Sed Deus summe perfectus est summe verax,

ideoque facultatem cognoscendi veracem mihi indidit, seu aptam ad obiectum sine errore attingendum. Ita fere Cartesius.

b) Cartesiani, magistri vestigia prementes, posuerunt dubium universale methodicum positivum uti philosophandi initium. Nihil enim, aiebant, a philosopho est admittendum, nisi sit scientifice demonstratum : de omnibus ergo, etiam de aptitudine mentis, dubitandum est, positive quidem sed methodice, inquirendo nempe in motiva assensus, ut de omnibus habeatur certitudo vere philosophica.

De sententia Cartesii et Cartesianorum iudicium feretur in ipsa thesis demonstratione.

c) Celebris est sententia Balmes et Tongiorgi de tribus veritatibus primis, quae ab omni critica inquisitione excipiendae sunt, quia in omni affirmatione certa implicite continentur, ab omni demonstratione philosophica supponuntur, et de ceteris omnibus analysim criticam possibilem faciunt. Huiusmodi veritates sunt : Factum primum, conditio prima, principium primum.

Factum primum est, iuxta Balmes aptitudo mentis ad cognoscendum; iuxta Tongiorgi existentia subiecti cogitantis.

Conditio prima est, iuxta Balmes evidentia; iuxta Tongiorgi aptitudo mentis ad cognoscendum.

Principium primum est principium contradictionis.

Haec sententia acriter impugnatur a Mercier, qui auctores vocat *Dogmatistas exaggeratos*.

Sed videtur nobis Emus vir aerem omnino verberare; sensus enim illorum auctorum non est, quem ipse eis attribuit. Non enim illorum mens est, illas veritates primas dici, quia ex eis prius cognitis et expresse affirmatis ceterae omnes logice discurrendo deducantur ; optime enim sciebant nullam esse in ordine creato veritatem talem, cuius cognitio sit causa cognitionis ceterarum. Neque volebant illi auctores, veritates illas dici primas, quia primae in cognitione directa attinguntur; sed quia, et in ordine ontologico ceteris praebent fundamentum proximum, et quia in omni cognitione certa implicite affirmantur, et tandem quia in cognitione reflexa, si de iis explicite inquiritur, immediate et sine ulla assensus suspensione sunt tenendae.

Et revera, nonne ridiculus esset ille, qui rogatus, utrum certo sciat se esse, responderet : « *Nescio, quaero, expecto* », ut suggerunt respondendum esse fautores dubii universalis methodici negativi ?

Quisque in se reflectens immediate et sine ulla haesitatione *cognoscit se esse* ; cognoscit suam cognitionem esse obiective realem, ideoque suam mentem esse *aptam ad cognoscendam*

realitatem ; cognoscit se, dum cogitat et est, non posse non cogitare, neque non esse, seu cognoscit *valorem principii contradictionis.*

Inepte igitur accusantur auctores illi dogmatismo exaggerato, quasi nulla ratione vocentur ab eis *primae* veritates illae, quas diximus.

d) Quarta sententia est eorum, qui, duce Mercier, ponunt statum initialem mentis, quae philosophari aggreditur, dubium universale methodicum negativum, quod etiam ignorantiam volitam vocant, et exprimitur verbis, quae retulimus: « *Nescio, spero, expecto* ».

Haec sententia, qua parte affirmat menti ius quaerendi explicite in motivum cuiuscumque cognitionis certae, nulla omnino excepta, nihil novi continet; quis enim unquam mortalium hoc ius negavit ? Nonne omnibus persuasum est, pro omnibus veritatibus, etiam fidei supernaturalis, valere illud Apostoli « *Rationabile obsequium vestrum ?* » Sed quod non omnes admittunt, est illam inquisitionem quoad omnes veritates esse dubium reale vel veram suspensionem assensus; cum in quibusdam, in illis v. g. quas supra retulimus, mens videat immediate, et obiectum cui adhaeret, et motivum ob quod adhaeret, quae duo tamen propter suam limitationem mens unico actu exprimere non valet.

Multo minus suspensio illa dici potest a fautoribus huius sententiae *dubium negativum;* si enim verum est, quod ipsi dicunt, nempe suspensionem illam induci ob rationes, et quidem graves, quae utrinque militant, dubium, quamvis negativum *vocetur*, positivum tamen *de facto erit*, et tunc sententia haec a rationalismo cartesianorum nihil, vel parum differt.

e) Quinta sententia est eorum, qui, facta distinctione inter methodum inquisitionis et methodum demonstrationis, in illo tenent posse quis initium facere ab abstensione cuiusque affirmationis certae; in altero autem non, sed semper a principiis certis esse incipiendum. In prima parte huius sententiae defenditur ius mentis in motivum inquirendi cuiuscumque suae certitudinis. Haec inquisitio suspensionem quamdam animi inducit, etiam quoad veritates, quae dicuntur primae ; sed cum in his sit vere momentanea, et inducta ob impossibilitatem mentis exprimendi actum certum et motivum certitudinis, potius quam ob ignorantiam huius motivi, inepte vocaretur dubium, vel ignorantia. Huic sententiae et nos subscribimus.

4) Thesis habet tres partes.

In 1ª reiicitur processus Cartesii.

In 2ª excluditur dubium universale methodicum positivum.

In 3ª probatur vera sententia.

I. P. Prob.

a) (Ex eo quod processus Cartesii incohaerentia laborat).

Processus qui incohaerentia laborat, merito reiicitur.

Atqui processus Cartesii incohaerentia laborat.

Ergo processus Cartesii merito reiicitur.

Maj. Per se intelligitur.

Min. α) Cartesius exclusit a revisione facienda veritates ordinis moralis et religiosi. Sed nonne huiusmodi etiam iustificari indigent ante mentem in suas certitudines reflectentem?

β) Cartesius dubitavit de omnibus, etiam de eis, quae clare percipiebat, et tamen admisit *se esse*, quia hoc clare percipiebat in sua cogitatione.

b) (Ex eo quod processus Cartesii in circulum vitiosum redit).

Processus qui in circulum vitiosum redit, merito reiicitur.

Atqui processus Cartesii in circulum vitiosum redit.

Ergo processus Cartesii merito reiicitur.

Maj. Per se intelligitur.

Min. Cartesius Deum esse et esse summe veracem probat ex clara notione Entis infiniti, quam conscius est se habere, et quam veracem esse putat ; deinde ex notione Dei summe veracis probat, facultatem cognoscendi veracem esse nobis a Deo inditam, quem processum esse circulum vitiosum, nemo non videt

c) (Ex eo quod processus Cartesii ad subiectivismum ducit).

Processus qui ad subiectivismum ducit, merito reiicitur.

Atqui processus Cartesii ad subiectivismum ducit.

Ergo processus Cartesii merito reiicitur.

Maj. Subiectivismus facit subiectum cogitans mensuram omnis veritatis, quod esse falsum demonstratum est in thesibus de obiectivo valore cognitionis humanae.

Min. Cartesius facit actum cogitandi et evidentiam subiectivam fundamentum et normam omnis cognitionis obiective certae.

II. P. Prob.

a) (Ex eo quod impossibile est omnia demonstare).

In omni demonstratione certitudo conclusionis causatur a certitudine praemissarum.

Atqui si omnia essent demonstranda, nulla haberetur praemissa certa.

Ergo si omnia essent demonstranda, nulla haberetur conclusio certa, ideoque si omnia essent demonstranda, nihil demonstrari posset.

b) (Ex petitione principii, in quem inciditur).

Si omnia essent demonstranda, demonstrandum quoque esset demonstrationem gignere certitudinem.

Atqui demonstrare demonstrationem gignere certitudinem, est petitio principii.

Ergo si omnia essent demonstranda, in petitionem principii incideretur, ideoque omnis certitudo periret.

c) (Ex valore demonstrationis indirectae).

In demonstratione ex absurdo conclusio est evidenter falsa.

Atqui conclusio evidenter falsa evidenti principio contradicit.

Ergo in demonstratione ex absurdo conclusio evidenti principio contradicit.

Iamvero, hoc principium aut est immediate evidens, aut non.

Si 1um, ergo datur aliquid, quod non est demonstrandum.

Si 2um, per aliud principium est demonstrandum, de quo iterum redit quaestio: aut ergo sistitur in principio, quod demonstrari non debeat; aut processus infinitus in serie principiorum admittendus, et consequenter scientia neganda.

III. P. Prob. 1° Quoad methodum inventionis.

a) (Ex eo quod est modus agendi omnino rationabilis).

Nihil irrationabile est in eo, quod quis in omnes omnino suas certitudines reflectat, ut earum motivum explicite inveniat.

Atqui huiusmodi reflexio et inquisitio suspensionem assensus importat, saltem momentaneam.

Ergo nihil irrationabile est in eo, quod quis assensum suspendat quoad omnes veritates, ut motivum suarum certitudinum explicite inveniat.

Maj. Rationabile obsequium rectum. Natura intellectus postulat, ut nihil non iustificatum admittat.

Min. Dum mens inquirit *explicite* in motivum assensus, motivum nondum *explicite* habet.

b) (Ex eo quod est modus agendi possibilis).

Possibilis est suspensio assensus quoad omnem veritatem, si mens ad eum statum revertere potest, in quo nullam certitudinem reflexam adhuc habebat.

Atqui potest, vi abstrahendi et reflectendi quam possidet.

Ergo suspensio assensus quoad omnem veritatem est possibilis.

Maj. In illo statu, in quo mens nullam habebat certitudinem reflexam, nullum motivum *explicite* possidebat, ideoque nullum assensum scientifice seu philosophice certum.

Min. Ope abstractionis potest mens a statu praesenti attentionem avocare, et ope reflexionis ontologicae ad statum revertere, in quo primo reflectere coepit.

c) (Ex eo quod nulla contradictio in hoc modo agendi reperitur).

Cum mens in ipsam evidentiam inquirere possit, contradictio haberetur, si abstrahere ab evidentia, idem esset ac evidentiam negare.

Atqui non est; abstrahere enim non est negare.

Ergo nulla contradictio in modo agendi, quem dicimus, reperitur.

III. P. Prob. 2° Quoad methodum demonstrationis.

Nota. Datur quaedam diversitas apud auctores huius sententiae quoad tres veritates, quae in omni demonstratione supponuntur, et quae ideo demonstrari non possunt. Admittimus cum recentioribus eas esse: *Factum primum*, nempe existentiam vel aptitudinem subiecti ad cognoscendum; *obiectum primum* vel *existentiam* veritatis in communi; *criterium primum* seu evidentiam.

Prob. *(Ex eo quod tres praefatae veritates ab omni demonstratione supponuntur.)*

Quae ab omni demonstratione supponuntur, demonstrari non possunt.

Atqui factum primum, obiectum primum, criterium primum ab omni demonstratione supponuntur.

Ergo factum primum, obiectum primum, criterium primum demonstrari non possunt.

Maj. Per se intelligitur.

Min. Declaratur:

a) Nulla demonstratio fieri potest, nisi detur subiectum aptum ad eam faciendam.

b) Si veritas non est, demonstrari nequit aliquid esse verum.

c) Si evidentia non est, nequit aliquid demonstrari esse evidenter verum.

Solvuntur difficultates.

1ª In philosophia nihil est admittendum nisi demonstratum.

D. Si non est immediate evidens C. si est Sbd. nisi assignetur ratio C. nisi detur proprie dicta demonstratio N.

Explico : Difficultas confundit haec duo : *Sine ratione, sine demonstratione*, quae, ut patet, non idem dicunt.

2ª Philosophia est cognitio rerum per causas ultimas.

D. Philosophia est systema, cuius notiones maxima pars per proprie dictam demonstrationem acquiruntur C. singulae N.

Explico : Causae rerum, de quibus est Philosophia, aliae sunt immediate notae, alia autem mediate. Scientia in suo formali conceptu dicit cognitionem certam rei; quod autem haec cognitio acquiratur per proprie dictam demonstrationem vel secus, pendet ex natura rei, de qua est scientia.

3ª Si initium philosophandi fit ex principiis per se notis, mens eis sine ratione assentitur.

C. Sine ratione demonstrata C. sine ratione immediate intellecta N.

Explico : Ratio adhaerendi, in principiis per se notis, est necessitas nexus inter subiectum et praedicatum, qui ex sola terminorum declaratione menti innotescit.

4ª Si initium philosophandi fit ex principiis per se notis, certitudo philosophica non differt a naturali.

D. Non differt quoad cognitionem motivi N. quoad firmitatem assensus Sbd. non differt essentialiter C. accidentaliter N.

Explico : Cum philosophus lucidiorem habeat notitiam motivi sui assensus quam homo rudis, firmiorem quoque habet et ipsum assensum.

5ª Initium philosophandi faciendum est ex eo, in quo ultimo sistimus in resolutione scientiae.

Atqui in resolutione scientiae ultimo sistimus in activitate cogitante.

Ergo ex activitate cogitante initium philosophandi faciendum est.

D. M. ....in quo ultimo sistimus in resolutione ontologica C. in resolutione psychologica N.

C. d. m.

D. c. Activitas cogitans est quid, ex quo prius affirmato cetera per discursum deduci possint, vel cuius cognitio sit causa cognoscendi cetera N. est quid, quod extra quaestionem est ponendum Sbd. in methodo demonstrationis C. inventionis N.

6ª In resolutione ontologica scientiae ultimo sistimus in obiectis, quae experientiae subiciiuntur.

D. Obiecta experientiae sunt fundamentum ultimum formale scientiae N. materiale Sbd. quoad partem rationalem N. empiricam. iter. D. unicum N. aliquod C.

Explico : Scientia formaliter sumpta est cognitio certa rerum, quae nempe per cognitionem causarum habetur : causae autem, sive cognoscendi sive essendi ; sive intrinsecae sive extrinsecae, sunt universales et immutabiles, quales non sunt singulares res, quae experientiae obiiciuntur. Hae autem quoad originem idearum fundamentum aliquod praebent, sed non unicum, tum quia scientia non de solis rebus empiricis est, sed etiam de metempiricis, tum quia ideae per mentis activitatem ope abstractionis ex obiectis experientiae hauriuntur.

7ª Saltem quoad partem experimentalem initium philosophandi faciendum est ex rebus experientiae subiectis.

D. Ita tamen ut cognitio rerum experimentalium valorem scientiae habeat ex ipsis rebus individuis N. ex applicatione alicuius principii synthetici necessarii et universalis Sbd. cuius necessitas et universalitas ex principiis analytico per se noto ultimo derivet C. non derivet N.

§ 2 *De constructione scientifica.*

Tria breviter dicemus : De scientia, de demonstratione et de principiis.

I. De scientia.

1) Quid. Scientia dici potest : Systema cognitionum demonstratarum circa obiectum aliquod.

Obiectum, consideratum prout est in se, dicitur *materiale* ; consideratum prout a scientia attingitur, dicitur *formale*.

2) Quotuplex. Scientia varias admittit divisiones pro varietate aspectus sub quo consideratur.

a) Ratione obiecti circa quod versatur, dividitur in speculativam et practicam, secundum quod obiectum est quid cognoscibile tantum, vel etiam operabile.

b) Cum scientia sit de universali, et universale per mentis abstractionem constituatur, secundum gradum abstractionis dividitur scientia in physicam, mathematicam, metaphysicam.

Physica est quae abstrahit a materia individuali, sed non a communi et sensibili.

Mathematica est quae abstrahit a materia, non solum individuali, sed etiam a communi et sensibili, sed non ab intelligibili, quae est quantitas.

Metaphysica est quae abstrahit a quavis materia, et de ente tractat, quod est negative vel praecisive immateriale.

Si abstractio mentalis exercetur circa ipsius rationis operationes, ut statuantur leges recte cogitandi, et conditiones determinentur requisitae ad earum obiectivam realitatem, *philosophia* habetur *rationalis*.

Si denique abstractio mentis versatur circa operationes voluntatis, ut assignentur normae recte agendi, in ordine ad finem ultimum consequendum, habetur *philosophia moralis*.

c) Cum scientia, sicut quaevis singularis cognitio, specificetur ab obiecto formali, sequitur eo nobiliorem esse scientiam, quo nobilius et universalius est obiectum formale, quo constituatur; unde si scientiae omnes inter se quoad nobilitatem comparentur, Philosophia, quae rerum omnium supremas causas investigat, nobilissima omnium scientiarum naturalium est dicenda; Theologia dogmatica tamen, quae lumine fidei supernaturalis informatur et de obiecto agit, quo nihil maius cogitari potest, omnium scientiarum nobilissima est.

II. De demonstratione.

Cum scientia demonstratione maxime utatur, de hac aliquid attingemus.

1) Quid. Demonstratio est argumentatio, quae ex principiis certo veris conclusionem certo veram deducit.

2) Quotuplex *a)* Demonstratio ratione medii, quo utitur, est a priori, a posteriori et a simultaneo.

A priori procedit ex rei demonstrandae causis, seu ex eis quae sunt simpliciter priora re demonstranda, nempe et quoad *esse* et quoad *cognosci*.

Ex: Homo est animal rationale.

Ergo est risibilis.

A posteriori procedit ex rei demonstrandae effectibus, seu ex eis quae sunt secundum quid priora re demonstranda, nempe quoad *cognosci* tantum.

Ex: Existit mundus.

Ergo eius auctor existit.

A simultaneo habetur cum medius terminus est ipsa res demonstranda sub aliquo conceptu considerata, ex quo quasi a priori alius conceptus eiusdem rei deducitur.

Ex: Postquam demonstratum est Deum esse a se, ex Dei aseitate deduci potest quasi apriori eius infinitas et alia attributa.

b) Demonstratio secundum naturam iudiciorum, quibus constat, dividitur in puram, empiricam et mixtam.

Pura est, cum iudicia, quibus constat, sunt omnia analytica.

Ex: Omne spirituale est incorruptibile.
Anima humana est spiritualis.
Ergo est incorruptibilis.

Empirica est, cum iudicia, quibus constat, sunt omnia synthetica.

Ex: Corpora calore dilatantur.
Ferrum est corpus.
Ergo calore dilatatur.

Mixta est, cum iudicia, quibus constat, sunt aliud analyticum, aliud syntheticum.

Ex: Quidquid existit, rationem sui sufficientem habet.
Mundus existit.
Ergo rationem sui sufficientem habet.

c) Demonstratio, secundum rationes quae afferuntur ad rem demonstrandam, est directa et indirecta.

Directa est, si rationes quae afferuntur, ex ipsa re demonstranda eruuntur.

Ex: Anima est spiritualis.
Ergo immortalis.

Indirecta est, cum res demonstratur ex absurditate sui contradictorii.

Ex: Falsum est Deum non esse.
Ergo verum est Deum esse.

3) Ut ex declaratis patet, potissima demonstratio est *a priori*, quae tamen fiat per causas proximas et per se; hae enim assignant rationem vere adaequatam et sufficientem rei demonstrandae. Sic qui diceret v. g:

Homo est animal.
Ergo est risibilis,

aliquam rationem assignaret *risibilitatis*, sed non vere adaequatam et sufficientem, quia *animalitas* non est causa *per se* risibilitatis. Et qui explicaret eclipsim solis ex eo quod sol luceat, aliquam quidem rationem daret huius phaenomeni, sed non vere sufficientem, quia lux solis non est eius causa proxima.

Haec demonstratio ab antiquis dicebatur *propter quid*, quia per eam cognoscitur, non solum praedicatum convenire subiecto, sed etiam ratio huius convenientiae; dum alia, nempe *a posteriori*, dicebatur *quia*, per eam enim cognoscitur solum praedicatum convenire subiecto, sed non ratio propter quam conveniat. Sic v. g. Mundi existentia est ratio cognoscendi *Deum esse*, sed non ratio *essendi* Deo.

Nota. Aliquid *per se* dici potest de alio quadruplici modo:
a) Cum illud, quod de alio praedicatur, huius essentiam

totaliter vel partialiter constituit, vel hanc necessario consequitur.

Ex: Homo *per se* est animal.
Homo *per se* est animal rationale.
Homo *per se* est risibilis.

b) Cum illud, de quo aliud praedicatur, est huius subiectum proprium.

Ex: Coloratum *per se* est superficies corporis colore suffusa.

c) Cum illud, de quo aliud praedicatur, est huius vera causa efficiens.

Ex: Iugulatus *per se* interiit.

Sed non esset praedicatio *per se* haec alia:

Deambulans interiit

quia *deambulatio* non esset causa *per se* mortis.

d) Cum quod praedicatur de aliquo, de nullo alio subiecto dici potest. V. g. Si quis diceret: « Regio, quam Alpes et mare circumdant Appeninesque dividunt, est pulcherrima »; statim intelligeretur hoc de Italia dici; praedicatio ergo esset *per se*.

Sed de his satis. Cetera, quae huc spectant, in Dialectica videri possunt.

III. De principiis.

1) Ut instituatur de aliqua re demonstratio, tria praecognita esse debent: *Subiectum*, de quo institui velit demonstratio, *Praedicatum* quod, an in subiecto sit, demonstrari velit, et *Principia*, ex quibus conclusio eruenda est. Cum primum et alterum satis intelligantur, dicemus tantum aliquid de principiis.

2) Quid. Principium, prout hic sumitur, est veritas nota, ex qua alia vel aliae non prius notae deducuntur.

Veritates, quae principia dicuntur, esse possunt notae vel per se seu immediate, vel per alias seu mediate.

Veritates per se notas admittendas esse, constat ex refutatione dubii methodici universalis positivi, ubi ostensum est non omnia posse demonstrari, neque demonstratione egere.

Ex his veritatibus quaedam dantur, quae dicuntur *principia prima*, vel *axiomata*, vel *dignitates*, ea enim remote vel proxime constituunt fundamentum totius scientiae.

Huiusmodi axiomatum vel dignitatum haberi scientiam, quamvis sint immediate nota, in aperto est: scientia enim, ut alibi innuimus, in suo formali conceptu dicit *cognitionem vere certam rei*, etsi sine proprie dicta demonstratione habeatur; huiusmodi enim veritates tales sunt, ut non solum necesse

sit eas ita *esse* et non aliter, sed etiam necesse sit *videre* et intelligere eas ita esse et non aliter, ut ait S. Thomas, I. Posterior. l. 19.

Horum primorum principiorum praecipua nominantur:

a) Principium identitatis: *quod est, est;* A est A.

b) Principium contradictionis: *Ens non est non–ens:* A. non est non–A.

c) Principium rationis sufficientis: *Quidquid est rationem sui sufficientem habet.*

d) Principium causalitatis: *Quidquid contingenter existit, causam habet.*

e) Principium substantiae: *Non datur accidens sine substantia; non relativum sine absoluto.*

3) In ordine ad scientiam construendam primum omnium habetur principium contradictionis: hoc enim non solum est, sicut cetera, necessarium, universale et immediate evidens, sed etiam a ceteris supponitur, quod ita ostenditur:

In tantum dici potest: *Ens est ens,* in quantum impossibile est *Ens simul esse non–ens,* seu in quantum verum est principium contradictionis.

Similiter, in tantum dici potest: *Omne ens rationem sui sufficientem habet,* in quantum ens sine ratione sufficiente esset simul *Ens et non–ens,* quod repugnat ex principio contradictionis. Et ita de ceteris.

4) Sed dices:

a) Principium contradictionis est idem principium identitatis; dicere enim: Ens non est non ens, idem omnino est ac dicere: Ens est ens.

R. D. Si altera particula *non* componitur cum verbo Tr. Si cum praedicato N.

b) Sed tunc principium contradictionis est iudicium negativum: negatio autem posterior est quam affirmatio.

R. D. Est negativum quoad expressionem C. quoad sensum N.

Explico. Principium contradictionis exprimit *necessitatem* rei: necessitas autem non est negatio, sed positio. Et revera potest principium contradictionis ita etiam formulari: Quod est, dum est, necesse est esse.

c) Sed tunc principium contradictionis iudicium erit modale; modale autem posterius est quam absolutum.

R. D. Qui modus est quid constituens ipsum nexum C. superadditum Sbd. quoad expressionem C. quoad sensum N.

Explico. Etiam differentia specifica exprimitur per modum

adiectivi, seu ut aliquid superveniens, et tamen est rei constitutivum.

5) **Quaeritur** utrum detur aliquod principium ita primum, quod virtualiter contineat ceteras omnes veritates, ideoque ex quo possint ceterae omnes deduci.

R. Negative, si in ordine cognitionis humanae sistimus.

Prob. *a)* Huiusmodi principium aut esset in ordine rationali seu ideali, aut in ordine experimentali.

Atqui non 1um, quia non datur transitus ab ordine ideali ad ordinem experimentalem vel existentialem.

Non 2um, quia nullum iudicium syntheticum est per se necessarium et universale, sed tale evadit ex applicatione alicuius principii analytici seu rationalis.

b) Plures dantur veritates per se notae, in quibus nempe, declaratis terminis, immediate intelligitur terminorum nexus.

Atqui huiusmodi veritates ex nullo principio deducuntur.

Ergo nullum datur principium ex quo cetarae omnes veritates deduci possint.

Sed dices :

Scientia resolvitur in principia ; principia autem omnia ultimo resolvuntur in unum principium, v. g. in principium contradictionis.

Ergo ex hoc unico principio possunt ceterae omnes veritates deduci,

R. D. Resolutio illa est de scientia obiective sumpta C. subiective sumpta N.

Explico : Cum scientia considerari possit obiective et subiective, duplex de ea moveri potest quaestio, nempe : *a)* undenam obiectum scientiae suam necessitatem ultimo repetat, et *b)* undenam subiectum suas cognitiones ultimo hauriat. Primae respondetur per principium contradictionis ; alteri autem non, quamvis enim principium contradictionis ab ea supponatur, non est tamen aliquid prius cognitum, cuius cognitio sit causa cognitionis ceterorum, sicut esse deberet, si vera esset propositio adversaria. Non enim idem est *supponere aliquid*, et *ex eo aliud deduci*, ut videtur difficultas intelligere : si enim ita esset, posset quis ita arguere : « Est homo ; ergo est homo doctus » quia *esse doctum* supponit *esse hominem*.

LAUS DEO ET SAPIENTI VIRGINI

INDEX BIBLIOGRAPHICUS

AQUINATIS D. THOMAE — De Veritate — q. I.
BALMES — Filosofia fundamental — Barcelona 1860.
BONNET — Critica — Wetteren 1924.
BOYER — L'idée de vérité dans la philosophie de Saint Augustin — Paris 1921.
BUSNELLI — I fondamenti dell'Idealismo attuale — Roma 1924.
CHIOCCHETTI — La filosofia di Benedetto Croce — Milano 1920.
CROCE — Filosofia dello Spirito — Bari 1912.
CRUBER — Le Positivisme — Paris 1893.
DE MARIA — Philosophia Peripatetico-Scholastica — Romae 1898.
DE MANDATO — Institutiones Philosophicae — Prati 1904.
DONAT — Summa Philosophiae Christianae — Innsbruck 1922.
FARGES — La crise de la Certitude — Paris 1908.
» — La Philosophie de M. Bergson — Paris.
FRICK — Logica — Friburgi-Brisgoviae 1908.
GALLUPPI — Saggio filosofico — Napoli 1819.
GARDAIR — La connaissance — Paris 1895.
GARRIGOU-LAGRANGE — Dieu — Paris 1923.
GENY — Critica — Romae 1914.
» — Historia Philosophiae — Romae 1918.
GENTILE — Teoria generale dello Spirito — Bari 1920.
JAMES — Le Pragmatisme — Paris 1924.
JANNIÈRE — Critica cognitionis humanae.
KLEUTGEN — La filosofia antica — Roma 1866.
KLIMKE — Institutiones historiae philosophiae — Romae 1923.
» — Il monismo e le sue basi filosofiche — Firenze 1914.
LAPRUNE — De la certitude morale — Paris 1924.
LAHR — Cours de philosophie.
LIBERATORE — Institutiones philosophicae — Neapoli 1900.
» — Della conoscenza intellettuale — Roma 1873.
MARÈCHAL — Le point de depart de la métaphysique — Bruges.
MAURUS — In Aristotelis opera omnia — Parisiis 1885.
MONACO — Praelectiones Logicae et Critices — Prati 1910.
MERCIER — Critériologie Générale — Louvain 1918.

Olgiati — La filosofia di E. Bergson — Torino 1914.
Palmieri — Logica critica — Romae 1874.
Pesch — Institutiones logicales — Friburgi-Brisgoviae 1889.
» — Le Kantisme et ses erreurs — Paris
» — Kant et la science moderne — Paris.
Picard — Le problème critique — Paris 1923.
Remer-Geny — Summa Philosophiae scholasticae — Romae 1925.
Rossignoli — Principii di filosofia — Roma 1905.
Sanseverino — Elementa Philosophiae Christianae — Neapoli 1864.
Schiffini — Principia Philosophica — Augustae Taurinorum 1892.
Sortais — Traité de Philosophie — Paris.
Tredici — Breve corso di Storia della filosofia — Firenze.
Tongiorgi — Institutiones philosophicae — Bruxellis 1873.
Urraburu — Institutiones philosophicae — Valisoleti 1891.
Valensin — A travers la Métaphysique — Paris 1925.
Wulf — Histoire de la philosophie médiéval — Louvain.
Zacchi — Il nuovo idealismo — Roma 1925.
Zamboni — La gnoseologia dell' atto — Milano.
Zigliara — Summa philosophiae — Parisiis 1887.

INDEX THESIUM

THESIS I.

Veritas in communi recte definitur: Adaequatio rei et intellectus; est tamen primario in intellectu, secundario in rebus, seu per ordinem ad intellectum. *Pag.* 5

THESIS II.

Veritas formalis proprie est in solo iudicio; in simplici apprehensione enim veritas formalis non est, sed transcendentalis tantum. » 10

THESIS III.

Falsitas, quae veritati contrarie apponitur et in positiva difformitate consistit cognitionis ab obiecto, per se nonnisi in iudicio esse potest; in simplici apprehensione autem et in sensu solum per accidens. » 13

THESIS IV.

Dubium universale reale positivum est *practice* impossibile; *theoretice* autem propositio enuntians *de omnibus dubitandum esse* contradictione laborat; neque quidquam valent, ante solutum problema criticum, argumenta scepticorum ad probandum certitudinem vere philosophicam nullam esse. » 18

THESIS V.

Certitudo, attentis motivis quibus proxime nititur assensus firmus, in metaphysicam, physicam et moralem recte dispescitur, tamquam in certitudines specie inter se distinctas. » 25

THESIS VI.

Testimonium conscientiae, quoad facta interna, concreta, praesentia subiecti cogitantis, est obiective certum: iudicium autem quo subiectum cogitans affirmat *se esse* est iudicium conscientiae immediatum et indubium. » 32

THESIS VII.

Experientia externa est fons cognitionis obiective certae. » 38

THESIS VIII.

Universalia non sunt mera nomina, neque meri conceptus, sed valorem habent vere obiectivum; non ita tamen ut dicantur esse formae subsistentes extra singularia vel formaliter existentes in ipsis singularibus; sed ita ut formaliter sint in mente, fundamentaliter autem in rebus. » 42

THESIS IX.

Mens in iudiciis analyticis immediatis proferendis, et in eis, quae deductione ex aliis inferuntur, motivo ducitur vere obiectivo: est autem deductio medium aptum ad cognitiones vere novas comparandas; neque in ea mens errare potest, nisi per accidens. *Pag.* 53

THESIS X.

Iudicia universalia, quae inductione colliguntur, sunt obiective certa, eorum tamen necessitas et universalitas non in sola experientia nititur, sed in iudicio aliquo analytico ultimo fundatur. » 59

THESIS XI.

Testimonium historicum in datis adiunctis veram gignit certitudinem; dantur praeterea iudicia, quae sensus communis dicuntur, in quibus falsitas esse nequit. » 64

THESIS XII.

Experientia, clara perceptio, caecus naturae instinctus neque unt esse criterium universale veritatis, neque motivum ultimum certitudinis. » 73

THESIS XIII.

Theoria de synthesi a priori a Kant excogitata ad valorem scientiae in tuto ponendum reiicitur, utpote quae nullo probabili fundamento nititur. » 78

THESIS XIV.

Solutio idealistica problematis critici, utpote negans omne criterium veritatis vere obiectivum, est reiicienda. » 83

THESIS XV.

Neque divina revelatio, neque consensus generis humani esse possunt norma suprema veritatis et ultimum certitudinis motivum. » 88

THESIS XVI.

Criterium universale veritatis et ultimum certitudinis motivum in evidentia obiectiva est reponendum.

THESIS XVII. » 92

Dubitatio cartesiana, quae dicitur, admitti nequit uti philosophandi methodus; recte tamen initium philosophandi quis faceret ex abstentione cuiusque affirmationis certae, si de inveniendo motivo suarum certitudinum agitur, non autem de veritate demonstranda. » 96

INDEX GENERALIS

Monitum . . . . . pag. 3

INTRODUCTIO

Definitio Criticae — Partitio — Momentum

SECTIO I.

De revisione certitudinis

CAP. I.

De notione veritatis et certitudinis . » 5
§ 1. — De veritate in communi. . . . . » *ibid*
§ 2. — De subiecto veritatis formalis. . . . » 10
§ 3. — De falsitate logica . . . . . » 13
Schol. I. *Utrum veritas logica sit relativa* . » 17
Schol. II. *Utrum falsitas admittat gradus, seu utrum possit una cognitio esse magis falsa quam alia* . . . . . » 18
§ 4. — De statibus mentis relate ad veritatem cognoscendam . . . . . » *ibid*
Schol. I. *Utrum certitudo admittat gradus* . » 28
Schol. II. *De certitudine fidei supernaturalis* . » *ibid*
Schol. III. *De probabilitate* . . . . . » 29
Schol. IV. *De ignorantia et errore* . . . » 30

CAP. II.

De fontibus internis veritatis et certitudinis . . . . . » 31
§ 1. — De experientia interna . . . . . » 32
§ 2. — De experientia externa . . . . . » 38
Schol. *Utrum sensibilia, quae experientia externa attinguntur, sit talia in se, qualia apparent.* » 41
§ 3. — De valore conceptuum universalium . » 42
§ 4. — De valore iudicii immediati et ratiocinii deductivi. . . . . » 53
§ 5. — De valore inductionis. . . . . » 59

CAP. III.

De fonte externo. . . . . » 64
Schol. I. *De testimonio mediato et traditione.* . » 68
Schol. II. *De testimonio scripto.* . . . . . » 69
Schol. III. *De testimonio doctrinali.* . . » 71

SECTIO II.

De Criterio et Methodo

CAP. I.

De falsis criteriis subiectivis . . . *pag.* 73
§ 1. — *De empirismo et cartesianismo* . . » *ibid*
§ 2. — *De solutione kantiana* . . . . . » 78
§ 3. — *De solutione idealistica* . . . . . » 83

CAP. II.

De falsis criteriis obiectivis . . . » 88

CAP. III.

De vero criterio . . . . . » 92

CAP. IV.

De initio philosophandi et constructione scientifica

§ 1. — *De initio philosophandi* . . . . » 96
§ 2. — *De constructione scientifica* . . . » 104
Index bibliographicus . . . . . » 111
Index thesium . . . . . » 113

115
L 615 LIBERATORE-CORSI
22963
AUTHOR
Logica Maior
TITLE
DATE DUE
BORROWER'S NAME
STORAGE -
22963